EXERCITATIONES
THEATRALES

AUTHORE

P. ANTONIO CLAUS,

Societatis Jesu Sacerdote.

PARS II.







CUM LICENTIA SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO CÆSAREO.




Ingolstadii & Augustæ Vindelicorum.
Sumptibus JOANNIS FRANC XAV. CRÄTZ, Bibliopolæ Academici, & THOMÆ SUMMER. Bibliop. August.
Typis verò, JOANNIS PAULI SCHLEIG, Typogr. Academici, Anno M. DCC. L.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. S. J.

Benevolo Lectori.

NEc illustres Tragœdias, nec digna theatris publicis spectacula in hoc Opusculo Lector exspectes. Cothurnum jam exui, quem olim invitus indueram, humili tantùm socco adrepo, & ne id quidem sponte, sed alienis votis compulsus: cùm enim pauciores sint, qui Dramata, & breviores Actiones scenicas scripsêre; quarum tamen usus in Gymnasiis est frequentissimus, ubi adolescentes intra Scholæ unius parietes, & in theatridiis exerceri, & theatris majoribus sensim solent aptari; cessi tandem multorum urgentibus votis, & Magistris Scholarum præcipuè amicè communico in primo quidem Tomulo Dramata, quæ olim intra anni decursum tum in Scholis; tum in Odæis Marianis exhibui: in altero Declamationes, ùt vocamus, & Exercitia Scholastica, ab illis tantùm legenda, qui etiam tenuem Musam non dedignantur. Accessêre sub finem quatuor Meditationes, ad aliorum pariter vota prælo iterum subjectæ.

)(2 Facul-



PERSONÆ.

Anzymon, *Senior inter Philosophos.*

Porphyrius, *Aulicus occultè Christianus.*

Beryllus, *Ephebus Aulicus.*

Syntapsius, *Pedellus,*

Blictrius, *Sub-Pedellus.*

Scena



SCENA PRIMA.

Porphyrius. Syntapsius. Blictrius.

Synt. TAntùm citò, citiùs. *Blict.* Citò citissimè.
Synt. ad Porphyr. En! jam parata, ùt jusseras, sunt omnia.
Jam disputando poterit initium dari.
Blict. Nemo deest, nisi Thesium defensor, &
Qui præsit, & qui objiciat in contrarium.
Porph. Sequentur hi cum Cæsare ex Aula brevì.
Servate postes interim, atque neminem
Admittite, nisi ex Aulicis, vel ex Sophis.
Synt. An præsidebit ipse Cæsar? *Porph.* Arbiter
Futurus aderit. Cæterùm absque Præside
Catharina positas sola defendet Theses.
Synt. Quid? disputabit fœmina? *Porph.* Et Virgo quidem
Tenella, sed doctissima ad miraculum.
Synt. Etiámne sapiunt fœminæ? *Porph.* Hæc certè sapit.

Scena exhibet Aulam, in qua parata omnia pro solenni Disputatione.

Bliētr. Quòd disputare fœminæ possint, scio,
Et audio sæpissimè. Miseri viri
Hoc affatim experiuntur. Agnôrunt suas
Sententias defendere omnes fœminæ,
Tenéntque pertinaciter, & urgent suos
Mirùm maritos. *Synt.* Litigat, non disputat
Mulier. *Porph.* Sed hæc non litigat, sed disputat,
Audáxque Catharis provocat summos Sophos.
Synt. Temeraria nimis Virgo! tot simul Sophis,
Doctissimísque sola se opponet Sophis?
Porph. Confisa cœlo, uníque, quem colit, DEO.
Bliētr. At quæ Theses, materia quænam ponitur
Ad disputandum? *Porph.* De Fide, Cœlo, & DEO.
Synt. Temeraria nimis Virgo confidit sibi.
Ego ipsus olim Logicus, & quidem bonus,
Doctúsque toto corpore intremui tamen,
Dum disputandum publicè quondam mihi
Et sustinenda vel unica hæc Thesis fuit
Ex summulis, de termino: & nihil sibi
Catha-

Catharina timeat? *Blictr.* Nempe non novit Sophos,
Quos tota ſtupet Ægyptus: O quales viri,
Et quàm profundi! terminos omnes ſciunt,
Realiter, *formaliter*. Mille faciunt,
Quas ſolvere poteſt nemo paritates, ſimul
Diſtinctiones mille. *Synt.* Præſertim ſenex
Is Diſputator Anzymon, & acerrimus
Hoſtis novorum dogmatum, quantas trahet
In fronte rugas! impetu quanto ruet
Ad diſputandum! ùt Anglicus canis feram,
Sic ille Catharin ſtringet, & ſolo obruet
Clamore miſeram Virginem, & ter centies
Sophiſmate uno territam, & captam trahet,
Claudétque ſacco. *Porph.* Forſitan minimè trahet,
Trahendus ipſe à Virgine. Haud nôſtis, puto,
Quàm rara ſit facundia, & vis ingenî
Huic puellæ. *Blictr.* Credo, vos, Domini Aulici,
Facilè puella traheret in partes ſuas,
Vobis honori ducitis, ſi fœminæ

Dicamini cessisse, nec vinci pudet,
Si Virgo vos impugnat. *Porph.* Utique non pudet:
Deferre primas sexui, & formæ, docet
Civilitas. *Blictr.* Civilitas! Civilitas!
Quot civitates perdit hæc Civilitas!
Synt. Hoc axioma pernegant nostri Sophi.
Nil sexui deferre Stoici solent.
Nec Aulicorum more formas appetunt
Præstantiores. Sunt sicut materia, quam
Primam vocant, indifferentes scilicet
Formas ad omnes; hanc licèt sententiam
Vix practicè probabilem ausim dicere.

SCENA SECUNDA.

Personis Prioribus accedit Beryllus.

Blictr. QUid tu novi, Berylle? *Beryll.* Suspende has Theses.
Defendet illas Catharis, aut si non queat
Defendere, retractabit. *Blictr.* Hoc ne credite.
Nihil retractant fœminæ. Mortem priùs
Subibit omnis mulier, antequam sua
Dicta revocet. *Porph.* Sed Catharis haud talis, regi
Ratione semet patitur. *Synt.* Hoc sanè novum

Novis-

Noviſſimum eſt : nempe mulier capax
regi
Ratione. *Porph.* Sed quæ munera hìc af-
fers ? cui
Hæc deſtinantur ? *Beryll.* Qui Catharis
hodie Theſes.
Audebit impugnare , & ex hiſce The-
ſibus
Falſam probârit unicam , hic Laurum
feret ,
Et torque cinctus gemmeo per omnia
Regalis urbis compita triumphans tuba
Præeunte proclamabitur ſummus Sophus,
Platone major, ac Ariſtotelis nepos.
Porph. At ſi triumphet Catharis ? & The-
ſes ſuas
Propugnet uſque invicta ? *Beryll.* Quis
credat ! Sophis
Doctiſſimis reſiſtere poterit unica
Puella ? *Synt.* Certè plurimi , & doctiſ-
ſimi
Libenter impugnare jam Theſes volent.
Blictr. Proponere argumenta , quæ tor-
que aureo
Solvuntur , eſt jucundius , quàm in Pe-
ripato ,
Aut circulo ſcholaſtico linguâ aridâ
Clamare fruſtra. *Beryll.* Fateor, ingens
jam Sophos
Accendit æmulatio , horam vix queunt ,

Et diſputando à Cæſare ſtatutum locum
Avidiſſimi exſpectare : in ipſo jam atrio
Regalis Aulæ Catharis oppugnant Theſes.

Porph. Jam diſputant cum Virgine hac?

Beryll. Facto agmine
Mox involârunt Catharin, ubi primùm ſuo
Prodiit cubili, ſyllogiſmis illico
Centum obruêre Virginem; inprimis ſenex,
Is Diſputator Anzymon mox unico,
Quod fecit, Enthymemate everſa voluit
Cuncta Catharinæ dogmata. *Porph.* Et Virgo quid ad hæc?

Beryll. Intrepida reſpondebat. Alia non ſcio:
Sed plura præſens denique evolvet dies,
Et hæc arena publico certamini
A Cæſare ordinata. *Porph.* Vincet veritas,
Quacunque ſteterit parte. *Synt.* In Aulis veritas
Raro triumphat. *Porph.* Fors triumphabit hodie.

Beryll. Hoc opto, munera interim, ut juſſus fui,
Depono. Pace noſtra vincat, qui velit.

Scena

SCENA TERTIA.

Porphyrius. Syntapsius. Blictrius.

Blictr. ME judice, atque Authore si Catharis sapit,
Priusquam arenam subeat, & saccum (pudor!
Subire saccum terribile!) itaque si sapit,
Priusquam arenam subeat, & saccum, Sophis
Jam sponte Laurum cedet, & pacem petet,
Et sic cum honore evadet arduam nimis
Defensionem. Nónne, Syntapsi, tua
Hæc pariter est sententia? *Synt.* At cui ex Sophis
Contingat ista Laurus? an fortè omnibus
Hic adfuturis munera dabuntur Sophis?
Porph. Quicunque positis ex Thesibus hisce unicam
Probârit esse falsam, hic aureum feret
Ex hac arena torquem, ita Cæsar palam
Promisit. Anne animus tibi est proponere
Doctissimum Argumentum? es, ùt dicis, bonus,
Doctúsque Logicus, aureum torquem potes
Referre. *Synt.* Si invitatus essem, forsitan

 Jam

Jam diſputarem. *Porph.* Si tibi lubeat, licet,
Etſi haud es invitatus. *Synt.* Et torquem feram,
Si diſputabo? *Porph.* Si unicam Theſin potes
Arguere falſitatis. *Synt.* Hoc facilè quidem
Demonſtro. Statim prima, quam video, Theſis
Falſiſſima eſt. Aggrediar hanc. *Porph.* Et quomodo?
Euge! videamus. Si placet, in umbra priùs
Pugnam experire. *Blictr.* Ego Præſidis vices agam.
Porph. Ego tuebor Catharis, ùt potero, Theſes.
Synt. Placet. *Blictr.* Igitur ſedeamus. Invitatio
Ut tempori parcamus, omitti poteſt.

Synt. Argumentabor contra Theſin primam, quæ ſic habet: *Datur ens à ſe, quod eſt DEus, & hic tantùm eſt unus in eſſentia.* Contra cujus membrum ſecundum ſic infero: Illa Theſis, quæ eſt falſa, non eſt admittenda: atqui hæc Theſis eſt falſa: ergo non eſt admittenda. *Blictr.* Placeat ſedere, & tegere. *Por.* Nego minorē. *Blict.* Placeat reſumere. *Por.* Parcamus tempori.

Negō

Nego minorem. *Synt*. Probo minorem. Illa Thesis est falsa, quæ dicit aliquid falsum: atqui hæc Thesis dicit aliquid falsum: ergo est falsa. *Blictr*. Clarissimè argumentatur sua Dominatio. *Porph*. Nego minorem. *Blictr*. Rectè negat. *Synt*. Probo minorem, probo. Hæc Thesis dicit, quòd detur tantùm unus Deus (notet bene, jam venit difficultas.) hæc Thesis dicit, quòd detur tantùm unus Deus: sed hoc est evidenter falsum: ergo dicit aliquid falsum. Jam respondeat in forma, tantùm in forma. *Porph*. Nego minorem. *Blictr*. vel distinguat majorem: dicit hoc explicitè, concedo majorem; dicit hoc implicitè, nego majorem. *Synt*. Contra, contra distinctionem. Dicit hoc etiam implicitè: ergo nulla distinctio. *Porph*. Quid opus distinctione? nego minorem. *Synt*. Quod hoc sit evidenter falsum? *Porph*. Ita, hoc nego. *Blictr*. Vel distinguat minorem: est falsum realiter, concedo; formaliter, nego. *Porph*. Inepta distinctio. Nego minorem absolutè. *Synt*. Ergo probo minorem. Si dantur plures Dii, tunc falsum est, quòd detur tantùm unus Deus: sed dantur plures Dii: ergo falsum est, quòd detur tantùm unus Deus. *Porph*. Concedo majorem, nego iterum minorem. *Blictr*. Vel distinguat: dantur

dantur plures Dii concretivè, concedo; abstractivè, nego. *Porph.* Iterum absurda distinctio. Nego absolutè minorem. *Synt.* Quòd dentur plures Dii? *Porph.* Ita, hoc nego. *Synt.* Jam demonstro minorem, demonstro. Jupiter est Deus; Apollo est Deus, Mars, Venus, & cætera sunt Dii: atqui Jupiter, Apollo, Mars, Venus, & cætera sunt evidenter plures: ergo evidenter dantur plures Dii. Jam subsumo: si evidenter dantur plures Dii, tunc evidenter falsum est, quòd detur tantùm unus Deus: sed hoc dicit Thesis: ergo Thesis dicit aliquid evidenter falsum. *Porph.* Nego majorem, nego majorem. *Synt.* Demonstro iterum minorem, demonstro. *Porph.* At ego nego majorem, majorem nego. *Synt.* Quid? majorem negas? quòd Jupiter, & Apollo sit Deus? *Blictr.* Hoc non potest negari; omnes Poëtæ hoc dicunt. *Porph.* At Catharina hoc negat, & hoc debet probari. *Synt.* Ergo admittis, quòd Jupiter non sit Deus? *Porph.* Ita affirmat Catharina. *Synt.* Obsecro! quale hoc absurdum! Jupiter non sit Deus! Apollo non sit Deus! *Porph.* Non, non est juxta Catharinæ sententiam.

Scena

SCENA QUARTA.

Perſonis prioribus accedit Anzymon.

Bliſtr. IN tempore venit Anzymon. Nodum, obſecro,
Diſſolve dubii grandis: An verum? an negat
Catharina, quòd vel Jupiter, vel Marſpiter
Diî ſint? *Anzym.* Ita, hoc negat, & benè, & piè negat.
Synt. Negat bene? ergo Jupiter non eſt Deus?
Anzym. Inane monſtrum Tartari eſt, truncus, lapis.
Bliſtr. Quid ergo Apollo? *Anzym.* Fabula eſt, & ſomnium
Vani Poëtæ. *Borph.* An ſeriò hæc, an ex joco?
Anzym. Jam non jocandi tempus eſt, ſerò loquor
Sed ſeriò. *Syntapſ.* Ergo Jupiter non eſt Deus?
Anzym. Non eſt. *Bliſtr.* Repugnas propriis ſcriptis tuis.
Olim Magiſter nónne docuiſti palam
Martem, Jovem, ac Apollinem ſummos Deos

Nobis

Nobis colendos esse? *Anzym.* Docui; sed pudet,
Dolétque, tam nefanda docuisse, & stygis
Coluisse monstra. Pœnitet. Damno impia,
Quæ sparseram olim dogmata, insana nimiùm
Retracto scripta. Jupiter non est Deus.
Orbem gubernat alius, atque unus Deus.
Blictr. Adverto, quid sit; nimia cerebri intensio
Turbavit omnes in capite species. *Synt.* Idem
Ego sentio. Delirat optimus senex.
Anzym. Hucusque deliravimus, amici, at modò
Incipio tandem sapere, dum cœpi unicum
Agnoscere Deum. *Porph.* Catharis agnoscis Deum?
Anzym. Verum, unicúmque. *Porph.* Ne palam, aula, ac Cæsare
Præsente, dicas talia, cave. *Anzym.* Cæsarem
Aulámque jam non timeo. Testor publicè,
Catharina vicit. Approbo positas Theses,
Ipse has tuebor, ipso subscribam meo
Huic veritati sanguine: est unus Deus,
Unus gubernat sydera, & terram, & stygem.

Synt.

Synt. Revocabis ergo propria scripta? prô pudor!
Vincatur à muliere Philosophus senex?
Anzym. Nil veritati cedere Philosophum pudet.
Blictr. Resipisce, quæso. Cernis hunc torquem aureum,
Laurúmque tibi paratam? an ista negliges?
Anzym. Exspecto Laurum sanguine emendam meo.
Ite, & referte Cæsari audita: Anzymon
Hic disputabit promptus, at contra Jovem,
Fictitia contra Numina, & proles stygis.
Synt. Recedo, non sustineo tot blasphemias.
Blictr. Alium parabit carnifex torquem tibi.
Anzym. Hoc est, quod opto, vincula, catenas, necem.
Pro Veritate cognita, atque uno DEO
Subibo promptus.

SCENA QUINTA.

Porphyrius. Anzymon.

Anzym. ad Porph. : CÆsari nomen meum
Deferre poteris. Anzymon Christi assecla
Fictum

Fictum, ac inanem lacerat, & calcat Jovem.
Audésne vindicare, quos colis, Deos?
Ecce! premo pedibûs. Pectus en! ferro patet.
Porph. Mihi pateat, oro, sed in amplexus pios.
Ardor tuus jam depulit frigus meum.
Nempe & ego dudum Catharis agnovi Deum,
Sed profiteri publicè haud ausus, tuo
Fervore jam succendor, & tecum palam
Proclamo: Solus Catharis est verus DEus.
Anzym. Amice! quantùm gratulor tibi, & mihi!
Uterque nostrûm quanta Catharinæ, & DEO
Debemus hodie!

SCENA SEXTA.

Porphyrius. Anzymon. Beryllus.

Beryll. - - Curre! festina Anzymon!
Omnes Dii periclitantur, & Sophi
Omnes laborant! Catharis in partes suas
Plerosque jam pertraxit, & nisi Anzymon
Causam Deorum fulciat, cedent Sophi,
Omnésque victas Virgini dabunt manus.

Implete

Anzym. Implete Superi vota! amice, currimus,
Causam tuemur Numinis, sed unius
Veríque. *Porph.* Vincat Catharis, atque veritas
Firmanda nostro sanguine. *Beryll.* Est mirabilis
Hodierna Disputatio!, Virgo unica
In tot Sophos hæc possit? altior manus,
Potentiórque nostrîs hîs subest DEUS.

O. A. M. D. G.



OLEUM DIVÆ CATHARINÆ.

DECLAMATIO IN FESTO DIVÆ CATHARINÆ.



PERSONÆ.

Catharinus, *Studioſus D. Catharinæ devotus.*

Poaſtrus,
Pigrinus,
Potander, } *Studioſi Condiſcipuli Catharini.*

Daniſtrus, Tyrolenſis, qui vœnum circumfert varias Olearum ſpecies.



SCENA PRIMA.

Scenæ refert cubiculum, in quo ad pulpitum ſedent Pigrinus, & Poaſtrus componentes penſum domeſticum.

Poaſtrus. Pigrinus.

Pigr. QUid eſt, Poaſtre, an ſaltitant verſus tui?
Nolunt mei ſaltare. *Poaſtr.* Debebunt mei,
Nolint, velint, ſaltare. *Pigr.* Quot jam verſuum
Conſarcinâſti? *Poaſtr.* Ex tempore modò quattuor
Poëticus profudit in chartam furor.
Pigr. Jam quattuor? me nullus invaſit furor.
Tota arida hæret vena, ne unicus quidem
Verſiculus hac effluxit è penna. *Poaſtr.* Tamen
Sat facilis eſt materia noſtri carminis.
Pigr. Mihi videtur ſterilis, & ſteriliſſima.
Lege,

Lege, obſecro, quæ tibi Poëticus furor
Dictavit. *Poaſt. Invocatio, & propoſitio.*
Bellum canto, nec non palmas Virginis, atque
Martyris, ergo Muſa fave, nec non & Apollo.
Eſt Catharis Virgo prudens ſimul, atque pudica.
Aſt Maximinus ſævus, ſimul atque tremendus.
Nunquid ſat alacres ſaltitant verſus mei?
Pigr. Ut nempe lumbos fractus, & crura. *Poaſtr.* Ego parùm
Laboro, quales ſint mei verſus, modò
Chartam impleam, domeſtico penſo ſatis
Sic facio. *Pigr.* Ego deſcribo, quidquid obvium,
Carmen modò ſit, proximo in libro venit.

SCENA SECUNDA.

Accedit Potander.

Poaſtr. ET quid Potander? vena num largùm fluit,
Spuítque verſus? pectus an Phœbô calet?
Pot. Bacchô calere mavelim. Felicior
Poëta ſum, dum plura, quàm ſcribo, bibo.
Pigr. Mihi liquores Bacchus, & Phœbus negant.
Hìc ſudo fruſtra. Miror aliquorum nimis



Faustos labores; Carmina effundunt levi
Volucríque vena, quando, vel quantùm volunt.
Præ cœteris Catharinus. *Poastr.* Est verissimum.
Felix nimis Catharinus est, & carmina
Vix non meis meliora procudit. *Pot.* Nihil
Ego miror ista: námque Catharinus palam
Fatetur ipsus, non sui partum ingenî
Esse illa, quæ conscribit. Aliena manu
Juvatur. *Poast.* Et cujus igitur? *Pot.* Diva Catharis,
Quam nempe tanquam Palladem suam colit,
Quod scribat, illi suggerit. *Pigr.* Et ego colo
Divam Catharin. Inscribo cunctis paginis:
Patrona in studiis sis Catharina meis.
Tamen nihil de carmine mihi suggerit.
Poast. At quomodo Catharina versus suggerit
Suo Clienti? an fortè se spectabilem
Præbere semper Diva Catharino solet?
Pot. Hoc nescio. Dicam tamen, quod sæpius
A me notatum. Nempe Catharinus Oleum,

Quod

Quod de ſacratis oſſibus Catharis fluit,
Secum ſolet portare, quoties ad ſcholas
Accedit. *Pigr.* Et quid inde? *Pot.* Dubitas? hic liquor
Sacer efficit, quod fabulæ de Caſtalis
Finxêre lymphis, illico Poëtas facit.
Pigr. Num certa narras? more num fingis tuo?
Pot. Credísne, me quid fingere in rebus ſacris?
Poaſt. Etiam ipſe vidi vaſculum, quo neſcio,
Liquore plenum, cui pium ſæpe oſculum
Catharinus ore fixit, & tunc ocyus
Volante calamo carmen in chartam celer
Effudit, ac ſi quispiam adſtans ad latus
Dictaret illi. *Pot.* Nempe, quod dixi, liquor
Divæ Catharis hoc efficit, ut ex tempore
Fiat Poëta, quisquis oleum tale habet.
Pigr. Ubi, obſecro, divenditur talis liquor?
Emam illico. Promptus dabo crucigeros decem
Vel unico pro vaſculo. *Poaſt.* Lubens ego
Dabo viginti. *Pot.* Rarus eſt valde hic liquor;
Ex monte, quem, nî fallimur, Sinam vocant,
Ubi ſepulta Catharis oſſa ſunt, ſacrum
Hoc ſtillat oleum. *Pigr.* Mons hic an diſtat procul?

Pot. Situs est in Arabia. *Pigr.* Sed Arabia hæc procul
An distat hinc? *Pot.* Ut credo, saltem quindecim
Leucis, vel etiam longiùs. Námque integrum
Interjacet nos inter, & Arabes mare.
Pigr. Et quomodo Catharinus hoc oleum sacrum
Obtinuit? aut unde emit? *Pot.* Hoc ego nescio.

SCENA TERTIA.

Accedit Danistrus.

Danistrus clamat. Hat hat - hat - guts gerechtes Stein-Oel/ Ranger-Oel/ Därsten-Oel/ Balsam-Sulfuris, und Allemontharnisch- und allerley Oel! laufft in der Zeit/ so habt ihrs in der Noth/ hilfft richtig Vich/ und Leuth/ hilfft nicht/ so helff euch GOtt. Probatum est.
Poast. Veni huc, Amice! inter liquores hos tuos
An non & oleum Catharis est aliquod tibi?
Dan. Contra catharros utique plurimùm mei

Liquo-

Profunt liquores. Ecce! Terebynthicum oleum,
Hoc ſi quotidie linias guttur, brevì
Cedet catharrus. *Pigr.* Dicta noſtra non capis.
Non de catharris loquimur, aſt Catharis, id eſt,
Nempe Catharinæ petimus oleum. *Poaſt.* Num nihil
Hujus liquoris eſt tibi? *Dan.* Eſt, eſt plurimum.
En quod Soror mea Catharina ex optimis
Expreſſit herbis! ſervit hoc primò - *Pigr.* Stupor!
Nil de tua Sorore, ſed de Virgine
Sanctáque Martyre Catharina profluum
Poſco liquorem, *Pol.* Qualis ex Arabiæ, ubi
Sepulta Diva Catharis eſt, monte effluit.
Dan. Intelligo. De monte Catharinæ petis
Aliquid liquoris, vel olei. Promam ſtatim.
En Vaſculum! ſed unicum ſupereſt adhuc.
Pot. Eſtne hic liquor de monte Catharinæ ſacro,
In quo ſepulta Martyr & Virgo hæc jacet?

Dan. Ubi ſit ſepulta, neſcio, vocatur
tamen
Mons iſte mons Catharinæ. Ibidem ſplendidum
Surgit ſacellum, Virgini huic Divæ ſacrum.
Poaſt. Mons iſte, quantùm, diſtat à nobis? *Dan.* Ego.
Leucas viginti & ampliùs ſat celeriter
Eundo ſum emenſus. *Pigr.* Viginti, & ampliùs
Leucas? *Pot.* Vides. Dixi: Arabia diſtat procul.
Poaſt. Ipſe hoc fuiſti in monte? *Daniſt.* Nec tantùm ſemel.
Vix quatuor horis diſtat à pago meo.
Pigr. Ergo genitus in Arabia es? *Pot.* Hinc adeò niger,
Et totus eſt piloſus. Arabes hoc habent,
(Ut audio) nigerrimi ſunt. *Dan.* Patria
Mea non vocatur Arabia; ſed ruſtici
Noſtri vocant Tyrolin. *Poaſt.* Eſt hæc quæſtio
De nomine. An Tyrolin, an Arabiam voces;
Modò iſtud oleum veniat ex monte Catharis.
Dan. Certiſſimè eſt ex monte Catharis hic liquor.
Ipſus replevi vaſculum hoc manu mea.

Quanti

Pigr. Quanti ergo vendis? *Dan.* Pro crucigeris quindecim.

Pigr. Pro quindecim unum vafculum? *Pot.* Non eft nimis.

Ex Arabia ad has ufque terras, quindecim,

Imò viginti diffitas Leucis, ego

Afferre nolim pro crucigeris quindecim.

Pigr. Sit ergo. Cede vafculum. *Dan.* Quantum dabis?

Pigr. Quantùm ipfe petiêras, crucigeros quindecim.

Poaſt. Quin vafculum mihi cedito. Viginti dabo.

Pot. Ego triginta. *Dan.* Video, pretium leve nimis

Hucufque pofui mercibus. Jam crucigeros

Peto quinquaginta. *Pigr.* Emamus omnes tres fimul!

Demus triginta crucigeros, quivis decem.

Poaſt. Da mutuos mihi quinque; nam plures meus

Hic facculus non numerat. *Pot.* Et mihi deeft

Æris minuti copia. *Poaſt.* Ergo pro omnibus

Solvat Pigrinus. *Pot.* Omnia, & cum fœnore

Reddemus, ubi liquore tam facro ebrii

Erimus

Erimus Poëtæ. *Pigr.* En ergo pretium, quod petis!

Dan. Tantùm triginta ? *Poast.* Sufficit. *Dan.* Sit. Pro hac vice.

SCENA QUARTA.

Pigrinus. Poastrus. Potander.

Pigr. IO Sodales ! jam sumus faustissimi.
Diu sedere ad pulpitum haud opus. Sine
Sudore nostro carmina in Chartam fluent,
Quotquot volemus. *Poast.* Ocyus olei sacri
Tentemus efficaciam. *Pigr.* Sed quomodo
Uti decet liquore tam sacro ? *Pot.* Tene
Manu sinistra vasculum ; dextra arripe
Calamum, sedensque scribe. *Pigr.* Quid scribam? *Poast.* Priùs
Exosculare vasculum affectu pio ;
Sic námque, vidi, facere Catharinus solet.
Pigr. Exosculor. *Pot.* Jam scribe, quidquid incidit,
Versum videbis fluere. *Pigr.* Nil mihi incidit.
Pot. Tene fortiùs oleum sacrum. *Pigr.* Firmissimè
Teneo, premóque. *Poast.* Exosculare denuo.

Exo-

Pigr. Exoſculor piiſſimo affectu. Tamen
Nil incidit. *Poaſt.* Fiducia in Divam tibi,
Ut ſentio, deeſt. Vaſculum cedas mihi.
Sentio animari pectus,& totum caput.
Calere Phœbô. Legite dictatum Thema,
Vel quisquis in eo occurrerit vobis locus.
Pigr. Legit. Virginis Catharinæ fortitudinem omnes obſtupuêre.
Poaſt. Jam jam incidunt. Stupete virtutem ſacri
Liquoris. En! ex tempore hæc ſcribo metra:
Virginem tam fortem, caſtam ſimul atque pudicam
Obſtupuit Cæſar, ſtupuit quoque carnifex ipſe.
Obſtupuêre Sophi, nec non ſimul obſtupuêre
Omnes - *Pot.* Stupores nempe. Verſus apage
Adęò profanos! *Poaſt.* Fac meliùs; age, ſi potes.
Pigr. Occurrit alius certior modus mihi.
Sacro liquori intingimus calamos. Trahent
Exinde vim Poëticam. *Pot.* Dicis bene
Poaſt. Probemus ergo. *Pigr.* Scribimus jam omnes ſimul,
Quidquid cuique inciderit in ſilentio. *

Vah!

Pot. Vah! qualis iſthæc penna? nec vel ſyllabam
Exprimere poſſum. *Poaſt.* Pariter & calamus meus
Stillare non vult. *Pigr.* Nec meus. *Poaſt.* calamos ſacro
Oleo profundè intingimus. * *Pot.* Modò fluent
Sperata tandem carmina. *Pigr.* Ex calamo meo
Nec guttula fluit, *Poaſt.* Charta nil recipit mea.
Pot. Nec mea. *Poaſt.* Quid hoc? *Pigr.* Miraculum eſt, miraculum,
Et evidens. *Pot.* Sed triſte. *Poaſt.* Nos miſerrimos!
Speravimus fieri Poëtæ ex tempore:
Et jam, pudor! ne ſcribere quidem poſſumus.
Pigrin. Quid conſilî nunc? *Pot.* Agite: Catharini domum
Accedimus; docebit hic meliùs modum,
Quo deceat uti, ut proſit hoc oleum ſacrum.
Poaſt. Accedimus. *Pigr.* Sed ecce! jam ipſus tranſit huc.

Scena

SCENA QUINTA.

Catharinus. Poastrus. Pigrinus. Potander.

Poastr. HEus! heus! Domine Catharine, paululum, obsecro,
Succede nostris ædibus, miraculum
Visurus. *Pigr.* Et miraculum mirissimum.
Cath. Quid Ergo tandem contigit in his ædibus?
Pot. Ita fascinati nempe nos terni sumus,
Nec syllabam ullam scribere ultra possumus.
Cáth. Nugamini? *Pigr.* Experire, quæso, ipsus. Sede hîc,
Et scribe. *Cath.* Quid? *Poast.* Quidquid placuerit.
Cath. Scribam ergo, vos stultescere. *Pot.* Ut tibi placet.
Pigr. Priùs tamen huic vasculo intinge calamum,
Oleóque sacro inunge. *Cath.* Calamum inungere
Jubetis oleô, & scribere? an stultescitis?
An me paratis ludere? *Poast.* Et cur ludere?
Cath. Quæ penna stillet sepiam, dum oleô madet?

Distin-

Pot. Diſtinguo: niſi ſacrum ſit Oleum. *Pig.* Non vides,
Quale hoc ſit oleum? *Poaſt.* Nónne ſimillimum tuo?
Pot. De Monte Divæ Catharis, atque ex Arabia,
Leucis viginti diſſita à nobis, ſacer
Iſte liquor eſt allatus, atque emptus modò.
Cath. Emptus? *Pigr.* Triginta crucigeris. *Cath.* Stulteſcitis,
An me paratis ludere? Valete. *Poaſtr.* Obſecro,
Tantiſper audi. *Cath.* Non vacat. Templum peto
Divæ Patronæ Catharis. *Pot.* Exſpecta modò.
Tecum ibimus nos pariter. At priùs doce,
Tu quomodo uteris Oleô, quod de ſacro
Monte Catharinæ pariter allatum tenes,
Tecúmque geſtas ſemper, ubi ſcholas adis?
Cath. Cur iſta quæris? *Poaſtr.* Pariter & nos hoc modo
Utemur. *Pigr.* Ut virtute præſentis Olei
Pangamus apta carmina, & ſimiles tibi
Simus Poëtæ. *Poaſt.* Hinc emimus pretio ſatìs
Magno hunc liquorem. *Pot.* Nunquid eſt ſimilis tuo?

Hoc

Cath. Hoc ſit Oleum, quod de oſſibus ſacris fluit
Divæ Catharis? *Poaſtr.* Ex monte Divæ huic ſacro.
Pot. Et ex Arabia. *Pigr.* Vel, prout alii vocant,
Et ruſtici, ex Tyroli. *Pot.* An irrides? *Poaſt.* Cave
Res tam ſacras contemnere! aut- *Cath.* Ex Arabia,
Aut ex Tyroli! repeto: num ſtulteſcitis?
Num me paratis ludere? *Pot.* An forſan negas,
Hoc eſſe verum Catharis Oleum? *Poaſt.* Vaſculum
Tuum, obſecro, deprome, ſi tecum geras. *
Pot. Multùm colore differunt. Liquor tuus
Eſt totus albus. Viridis eſt noſter. *Cath.* Rogo,
Adhibete nares. *Pigr.* - Etiam odore differunt.
Cath. Sentitis utique, expreſſus ex herbis liquor
Eſt iſte, non ex oſſibus ſacris fluens.
Poaſt. An ergo nos fefellerit mendax Arabs?
Pot. Juravit, hunc de monte Catharinæ ſacro

* *Catharinus vaſculum depromit.*

Haustum liquorem, hunc semet ex Patria sua
Huc attulisse per viginti, & ampliùs
Leucas. *Cath.* Viginti & ampliùs leucas? *Pot.* Ita est.
Poast. Non credis hæc? *Pot.* Est dissita à nobis procul
Arabia. *Cath.* Vel Tyrolis. *Pigr.* An non est idem
Arabia vel Tyrolis? *Cath.* Omnino. Sita est
Media in Tyroli Arabia. *Pot.* Quidquid sit; venit
Ex monte Catharis hic liquor. *Cath.* Forsan loco
Quodam in Tyroli Diva Catharina colitur
Structo sacello, & unde mons nomen trahit,
Id credo facilè. Non tamen, quod crediris,
De monte Sina, nec sacris ex ossibus
Nostræ Patronæ fluxit hic vester liquor.
Poastr. Ergo triginta crucigeros expendimus
Frustra? *Pigr.* Et quod affligit magìs, non possumus
Fieri Poëtæ ex tempore, ùt speravimus.
Cath. Sperastín' ergo ex tempore Poëta fieri?

Favore

Pigr. Favore Divæ Catharis, & olei facri
Virtute, qua tu femper adjutus facis,
Quotquot volueris carmina, levi brachio.
Cath. Agnofco gratus: Diva mihi Catharis favet,
Huic debeo, ac adfcribo profectum meum.
Hanc vos Patronam pariter ad veftra ftudia
Eligite. *Poaft.* Jamjam elegimus. *Pigr.* Sed fine Oleo
Nil poffumus proficere. *Pot.* Sumus, ut Virgines
Fatuæ. *Poaft.* Mihi ingens crefceret Fiducia,
Et certa Divam in Catharin, ex facro illius
Liquore, fi vel guttula effet ad manum.
Cath. Si tanta vos Cupido facri Olei tenet,
En! Cedo vafculum hoc. Aliud eft mihi fuper.
Poaft. O quam favore hoc nos tibi obftringis! *Pot.* Manum
Tam liberalem exofculor ter centies.
Pigr. Nunc & modum, quo utamur hôc Oleô, doce.
Cath. Dicam modum, quem teneo ab annis pluribus

Divam colendi Catharin. *Poaſt.* Avidus
audiam.
Scriptis notabo ſedulus puncta omnia.
Cath. Fiduciam omnem pono in hac Pallade mea,
Non in meis laboribus. *Pigr.* Fiduciam
Hanc ego imitabor ſtrenuè. Nil ampliùs
Studebo, totum huic Palladi negotium
Relinquo, totum adſcribo profectum
meum.
Cath. Non ſuaſerim hoc. Adjungere laborem tuum
Oportet, & conſtanter. *Poaſtr.* Et quid
præter hæc?
Cath. Dum ſurgo, ſummo manè, mox
Divam invoco.
Pigr. Jam manè ſummo ſurgere? *Pot.*
Hoc eſt ſcilicet
Poſt ſolis ortum in hyeme. *Cath.* Per
diem quoque,
Intérque media ſtudia ſæpius voco
In vota Catharin. *Pot.* Sed breves ſint
hæ preces.
Cath. Modò fervidæ. *Poaſt.* Quid porro? *Cath.* Cùm Virgo ſiat
Patrona noſtra, quidquid eſt caſtum minùs,
Abſit clientis ore! nec vel verbulum
Virgini inimicum proferat. *Pigr.* Cavebimus,

Oleo

Oleo ſacro præſente. *Pot.* Vel ſi quos ſubin
Feſtiviores ſpargere placebit jocos,
Semper priùs Oleum ſacrum removebimus,
Aut pulpito includemus. *Poaſt.* Et quid inſuper?
Cath. Non ora tantùm caſta ſint: Cor, & manus,
Quod puritatem lædere poteſt, horreat,
Caveátque ſemper. *Pot.* Semper omnino? *Cath.* Secus
Vis omnis Olei areſcit impura in manu.
* *Pot.* Pigrine, teneas Vaſculum hoc. *Pigr.* Cur? num times,
Ne forſan exareſcat in manu tua?
Impone menſæ. *Pot.* Nunquid etiam tu times?
Poaſtr. Adhúcne ſupereſt aliquid? *Cath.* Abſolvam omnia
Pauciſſimis: Si vultis, ut Diva Catharis
Olei ſui virtute vos doctos brevì
Faciat Poëtas, colite virtutem: ſcelus
Omne fugite: laborate conſtanter. *Pot.* Vale!
Pigr. Recipe Oleum tuum. *Cath.* Recipio. Non decet
Projicere margaritam ad- *Poaſtr.* Id mihi, obſecro,

Concede. monitis ſtabo : pietatis ſimul;
Et Litterarum ſtudia conſtanter colam.
Cath. Perge ergo mecum. Catharis apud aras ſacras
Homagium dic Palladi novæ. Novus
Cliens Patronam ſenties. *Poaſt.* Præi, ſequor.

O. A. M. D. G.



Bos

BOS AD PRÆSEPE.

DECLAMATIO
IN FESTIS
NATALITIIS DOMINI.

ARGUMENTUM.

NAscentis Domini Ferias Londinensis Aula proscriptis jam Catholicæ pietatis Exercitiis sub annum 1569. summo chorearum ludorúmque apparatu celebrare cœperat. Chorearum Ducem Regina nominaverat Thomam Pondum, avita nobilitate, & opibus inter Aulicos præstantem, & cui in arte saltandi parem tum Anglia non habebat. Saltavit is adeò eleganter, ut non tota modò orchestra illi applauserit, sed Regina ipsamet pro-

prium suum strophiolum submiserit, quo sudorem abstergeret. Hoc favore animatus dum saltationem iterat, & in multiplices gyros se rotat, vertigine actus humi toto corpore prosternitur, tot sannis, & sibilis, quot antea plausibûs ab aula tota exceptus. Accessit probrosus Reginæ sarcasmus, dum Thomæ prostrato, Et præ pudore surgere cunctanti acclamavit: *Surge Domine Bos.* Surrexit ille; sed vanitatem & inconstantiam Aulici plausûs hoc casu edoctus sanctius vitæ genus sectari cœpit, Religionis Catholicæ, quam hactenus animo tantùm, non moribus tenebat, propugnator postea acerrimus, pro cujus defensione 30 annorum carceres, & denqiue in carcere mortem pertulit. *Tannerus.*

PER-



PERSONÆ.

Thomas Puondo.

Carolus Puondo, *Thomæ fraterculus.*

Ceſtrius, } *nobiles Angli.*
Robertus, }

Edmundus, *Sacerdos, ſed in veſte ſæculari.*

Richardus, *Caroli Moderator.*

Stychus, } *Famuli Thomæ.*
Dromulus, }



SCENA PRIMA.

Scena exhibet Conclave, in quo Thomas coram speculo, famuli eidem Vestes scenicas aptant. &c.

Thomas Puondus. Robertus. Cestrius.

Rob. UBi lentus hæres Puonde? Jam solennibus
Ludis initia danda, jam impatiens moræ
Exspectat omnis Aula. Regina ipsamet
Jam proxima est. Orchestra te solum vocat.

Puond. Quid dicis? Regina num præsens erit?

Rob. Puondum ipsamet spectare saltantem cupit.
Audivit, hac in arte qui par sit tibi,
Nullum inveniri in Anglia, & Regno suo.

Cest. Credítque meritò; quando te Choreæ Ducem
Legit juventus Aulica, & præ tot aliis.

Puond. Si Cestrium legisset, haud ægrè æmulo

Tanto

Tanto Thomas cessisset; at quoniam mihi
Hunc Aula honorem detulit, spero, nihil
Contra movebis. *Cestr.* Promptus applaudam quoque.
Rob. Age ergo, Puonde, si quid in pedibus tuis
Est artis, id deprome. Nunc seges tibi
Fæcunda laudum surgit. *Cestr.* Ad honorum gradus
Non lento gressu scandere, ùt multi solent,
Sed promoveri ad summa *per Saltum* potes.
Puond. Sic spero, licèt invidia forsitan fremet.
Dromule, galerum -

SCENA SECUNDA.

Accedit Carolus.

Carol. - - FRater, huc mecum citò!
Puond. Quid ergo rursus? *Carol.* Nónne præsepe hoc meùm
Bellissimum? *Thom.* Apage cum tuis nugis puer.
Carol. Nugas vocabis, JEsuli nati recèns
Celebrare memoriam? *Thom.* Manicæ ubi? *Carol.* Dicite
Vos,

* *Panditur interius conclave, in quo præsepium &c. in quo JEsulus, & ponè asinus sinè bove.*

Vos, nunquid eſt belliſſimum hoc præſepium?
Rob. Belliſſimum eſt, omnino. *Ceſtr.* Sed quare bovem
Non jungis aſino? *Carol.* Nempe non habeo bovem.
Dic, quæſo, Frater, num obtinere non queam
Aptiſſimum præſepio meo bovem?
Thom. Redùx ab Aula, ſi taces, referam bovem.
Jam pergimus ad Orcheſtram. *Ceſtr.* Ibi ſortem precor
Thomæ faventem. *Thom.* Nil ego ſortem moror.
Regina ſola jam mea eſt ſortis Dea.
Drom. Sequamur, & nos, Stiche; nam laudes Heri
In nos redundant. *Carol.* Dromule, hîc maneas volo.

SCENA TERTIA.

Carolus. Dromulus.

Drom. COmitari ad Aulam debeo Thomam, meum
Herum. *Carol.* Quid? an non pariter ego ſum Herus tuus?
Vel imperata facere, vel noſtra domo

Exeſſe

Exesse te mox jubeo - *Drom.* Bona verba, obsecro.
Carol. An jussa facies? *Drom.* Quæ illa? *Carol.* Pictorem mone,
Aptum meo Præsepio ut pingat bovem,
Et celeriter. *Drom.* Volabo. - *tacitè* - sed in Aulam, ad Thomam.
Plausûs herilis particeps fiam etiam ego.

SCENA QUARTA.

Carolus solus.

DOrmi interim, mi JEsule! vel an non placet
Dormire? Nunquid stramen hoc durum nimis?
En! * molliora lintea. Age, dormi modò.

*Strophiolum in mensula relictum à Thoma JEsulo subjicit.

SCENA QUINTA.

Richardus. Edmundus.

Rich. IGnosce! nam hac sub veste quis mystam sacrum
Mox nôsset? *Edm.* Habitus induo quotidie novos
Variósque; dum latere me cogit salus
Aliena. Nullus mysta Londini palam,
Sat ipse nôsti, prodeat, nisi velit
Pendere. *Rich.* Scio; sed his in ædibus nihil

Tege-

Tegere necessum. Ingredere. *Edm.* Num Puondus domi?

Rich. En! Carolum. *Edm.* Salveto, Domine Carole!

En! quod tibi promiseram, fero Xenium. *

Rich. Nónne elegans hic Pusio? *Carol.* Sat elegans;

Sed bos fuisset gratior mihi hac die;

Nam, quod videtis, solus hic deest meo

Præsepio. *Edm.* Hoc tu struxeras? *Carol.* Solus quidem.

Edm. Laudo pietatem. Sed ubi jam Frater tuus?

Carol. Aulam subivit. *Rich.* Nempe pro more annuo

Festos juventus nobilis ludos dabit.

Edm. Novi profanum hunc Angliæ morem; an tamen

Audebit his miscere se ludis Thomas?

Rich. Imò Thomam elegêre Chorearum Ducem

Hi nobiles. Saltandô festivis dabit

Ludis initia. *Carol.* Sumptibûs magnis stetit

Festivitas hæc. Domina Mater debuit

Novas parare, & splendidas vestes Thomæ.

Rich. Convivium quoque instrui opiparum jubet:

Nám-

* *Offert illi pusionem Jesulum ex cera formatum.*

Námque invitabit nobiles omnes, ubi
Finita fuerit ſcena cum plauſu Thomæ.
Edm. Quàm collocare meliùs hos ſumptus Parens
Potuiſſet! *Rich.* Omnes æſtimat ſumptus leves,
Dum Filius, quem diligit tenerrimè,
Plauſum, atque honorem referat; & dubio ſine
Applaudet omnis Aula ſaltanti Thomæ.
Edm. Precabor equidem proſperum eventum rei;
Sed tam profanis luſibus feſtum diem
Violare Puondum, neutiquam, ùt velim, queam
Laudare. Credidi hactenus - *Rich.* An ergo improbas
Morem vetuſtum, quem probat tota Anglia?
Edm. Certè indecentem affirmo tam ſancta die,
Multúmque timeo, ne Thomas graviter luat
Hanc vanitatem. *Rich.* Loqueris, ùt myſtæ ſolent.
Ignoſce verbo: nobilem, qualis Thomas,
Servire mori, & tempori, atque Aulæ decet.

Servi-

Edm. Servire ſacro tempori, & DEO decet,
Quicunque Chriſtianus audire appetit.
ſed ſera jam ſunt monita. Diſcedo interim.
Hoc xenium depono. * Redeunti Thomæ
Id nomine meo redde. *Carol.* Qualis hic liber?
Edm. Hiſtoria ſacra, iconibus expreſſa æneis.
Rich. Gratiſſima erit; expetiit hanc dudum Thomas.
Carol. * At quale monſtrum hoc? Semivir, vel ſemibos.
Edm. Hoc nempe repræſentat Aſſyrium Ducem,
Manu DEI feriente, mutatum in bovem.
Carol. Ergóne poterit quis homo mutari in bovem?
Edm. DEO volente. Hic nempe Rex ſuperiens
Pôſtus in honore, ſpreverat DEI manum;
Sed puniente Numine, in brutum bovem
Mutatus, inter pecora denuo ſapere,
DEúmque nôſſe didicit. *Carol.* Eſt mirabilis
Hiſtoria, quam narrabo mox Fratri meo
Poſtquam redìerit! eſt enim pariter nimis
Superbus, & præſepe contempſit meum.
Imò auſus eſt vocare nugas. Si DEUS
Muta-

* *Librum ſplendidè compactum tradit.*

* *Carolus luſtrat icones libri.*

Mutaret illum pariter in brutum bovem,
Fors ſapere tandem diſceret. *Rich.* Fratri,
puer,
Quid imprecaris? *Carol.* Ut ſapiat, ănne
hoc malum eſt?

SCENA SEXTA.

Perſonis prioribus accedit Dromulus.

Drom. Citò, citò. *Carol.* Quid? habésne jam pictum bovem?
Drom. Nullus laborat pictor hac feſta die.
Ubi ſtrophiolum? *Rich.* Quale? *Drom.*
Quod Dominus Thomas
Reliquit hac in menſula: poſcit ſibi
Statim referri, ut nempe frontem plurimo
Sudore madidam tergat. *Rich.* An initium datum
Jam ſaltibus? *Drom.* Saltando jam feſſus
Thomas
Sudore totus diffluit. * Quis abſtulit?
Vel quò avolavit Strophiolum? *Edm.*
Vale modò,
Richarde! Si redîerit ex Aula Thomas,
Fors alloqui licebit. *Rich.* Alloquium
Thomæ,
Ædésque noſtra ſemper Edmundo patet,

* *Quærit ubique Dromulus.*

Edm. Valeto, Domine Carole. *Carol.* Valeto Pater.
Sed si redîeris, affer, obsecro, bovem

SCENA SEPTIMA.

Carolus. Dromulus.

Dromulus strophiolum JEsulo substratum vult abstrahere, obsistente Carolo.

*Drom.** Hîc video strophiolum. *Carol.* Quid? audésne, impie!
Sacrilege prædo! JEsulo meo sua
Eripere linteamina? *Drom.* Ad Dominum Thomam
Hæc pertinent. *Carol.* Modò pertinent ad JEsulum.
Drom. Cede, obsecro. *Carol.* Non cedo, téque jam ultimùm
Moneo, recedas; vel alapam infligo tibi
Hâc dexterâ, ut humi corruas instar bovis.
Drom. Audito, Domine Carole, si hæc cedas mihi,
Pulcherrimum mox afferam bovem tibi.
Carol. Et unde? *Drom.* Ab Aula. *Carol.* Súntne etiam in Aula boves?
Drom. Præsepio huic aptissimi, & pulcherrimi.
Carol. Et ista certò? *Drom.* Juro per fidem meam.

Sit

Carol. Sit ergo. Çede, JEſule, iſthæc lintea,
Et interim inter brachia quieſcas mea.

SCENA OCTAVA.

Dromulus. Stychus.

Stych. JAm ſiſte, Dromule, ſiſte: non ultra indiget
Herus Strophiolo. *Drom.* Cur petîit ergo? *Stych.* modò
Obtinuit aliud, & quidem, ô quali à manu
ſibi traditum! *Drom.* Quali à manu? *Stych.* Hoc tibi neutiquam
Enuntio: nam primus, & ſolus feram
Hoc nuntium lætiſſimum Dominæ meæ,
Et pingue congiarium exinde referam.
Drom. Quod nuntium hoc lætiſſimum? *Stych.* De noſtro Hero.
Drom. Annuntiabis nempe plauſum publicum,
Laudésque, quibus ex arte ſaltantem Thomam
Excepit omnis Aula, cúmque Aula ipſamet
Regina? *Stych* Et unde tu iſta? *Drom.* Quæris? omnia

Ista scio dudum. *Stych.* De strophiolo num quoque
Scis, quid sit actum? scísne, quis submiserit
Domino Thomæ proprium suum sudarium?
Drom. Domicella nobilissima. *Stych.* Domicella? prô
Quàm falleris! Regina, Regina ipsamet
Proprium suum sudarium propria manu
Thomæ obtulit, ut abstergere faciem queat
Sudore madidam. Nunquid insolitus favor
Hic est? Et hunc Dominæ Parenti nuntio.
Sic pingue congiarium, & solus feram.
Drom. Quò, Styche, pergis? siste: nam non est domi
Nostra Domina, hinc exivit. *Stych.* Exivit? tamen
Decumbit ægra. *Drom.* Decubuit, ita est, priùs;
Sed jam resumptis viribus ad Aulam celer
Contendit, & spectaculo præsens cupit
Haurire propriîs auribûs plausus novos,
Queîs Aula, queîs Regina, queîs tòta Anglia,
Thomam obruit. Nullámne vidisti in via
Rhedam obviam? *Stych.* Quàm plurimas vidi obvias

Rhedas

Rhedas ad Aulam tendere. *Drom.* Harum uni insidet
Nostra Domina. *Stych.* Ergo redeo & ego ad Aulam citò,
Ne quis alius me præveniat, & nuntio
Tam gaudioso congiarium mihi
Præripiat hodie. Nam sitio terribiliter.
Drom. solus. Curre modò, simplex, curre! congiarium,
Quod petis in Aula, citiùs inveniam domi.
Accedo Dominam. *Stychus redit.* Dromule! *Drom.* Quid? *Stych.* An non mihi
Mentitus es? *Drom.* Ego? *Stych.* An exiit hodie domô
Hera nostra? *Drom.* Si mihi fidem negas, domum
Ipse subeas, videbis; at cave interim,
Ne quis alius - *Stych.* Cur ergo tu domum redis,
Et non ad Aulam? *Drom.* Quia strophiolum hoc debeo
Referre Domino Carolo, cùm illo Thomas
Non indiget. * *Stych.* Credámne? num fors decipit
Me Dromulus, dolóque speratum cupit
Præripere congiarium? nosco puerum:
Est ingenî promptissimi; mendacium

** Intrat ades Dromulus.*

Ex tempore poteſt cudere. Quid ago? domum,
Aulámve peto? Sacrum inter & ſaxum hæreo,
Ut Hercules in bivio. At en! redit jam Herus.

SCENA NONA.

Thomas Puondus. Stychus.

Thom. *ASſurge bos! aſſurge bos!* hæc publicè?
Hæc in oculis totius Aulæ? totius
Brittanniæ Regina Puondo? *Aſſurge bos!*
Stych. Here, gratulor. Novítne jam Domina Parens,
Quod nuntiatum veneram? *Thom.* Quid veneras
Tu nuntiatum? *Stych* Nempe quem jactas modò
Plauſum, & favorem, quem tibi ipſa contulit
Regina in oculis omnium, Aulæ totius,
Et totius Brittanniæ. *Thom.* * Serve inſolens!
Et tu mihi inſultare? *Stych.* Bona verba, obſecro.
Non ego tibi inſultare, ſed Matri tuæ
Renuntiatum veneram, quo munere

*Stichoinfligit colaphum.

Regina

Regina te donârit, hoc nempe proprio Sudario. *Thom.* Ah! ſudarium infauſtum nimis!
Quo jam pudorem tegere, ſed fruſtra, paro. -
*Aſſurge bos! * Stichus ſolus. Aſſurge bos!* quid hæc ſibi?
Non capio ſat. ** Abit Thomas.*

SCENA DECIMA.

Robertus. Ceſtrius. Stychus.

Stych. - - QUæſo, Domini, quid accidit
Hero meo? *Rob.* Num ſolus ignoras adhuc,
Quod tota narrat Aula, quod clamat puer
Per trivia? *Styc'h.* Plauſum nempe, quem retulit Thomas
Saltandô? *Ceſtr.* Talem non peto plauſum mihi.
Robert. Condoleo amico. Caſus infelix fuit.
Ceſtr. Sed tam ſuperbo debitus. Meminiſti adhuc,
Quæ dixerit? *Nil curo fortunæ vices.*
Regina ſola jam meæ eſt ſortis Dea.
Stych. Nondum iſta capio. Quæſo, Domini, clariùs

Vos explicate : qualis hic casus fuit ?
Fallente fors vestigio lapsus Thomas
In ora pronus cecidit ? hic casus foret.
Cestr. Divinat aliqua Stychus. *Stych.* Anne brachia,
Vel crura læsit graviter ? *Rob.* Ut credo, leviùs
Confracta ferret brachia, & pedes Thomas,
Quàm bina verba. *Cestr.* Fateor, integrum bovem
Concoquere durum est nobili stomacho. *Stich.* Bovem
Concoquere ? nondum intelligo. *Cestr.* Ex Hero tuo
Novisse plura poteris, atque illi meo
Jam gratulari nomine insignes sibi
Partos honores. *Robert.* Nomine at meo velis
Huic condolere. * *Stichus solus.* Gratulari, sed simul
Quoque condolere ?

* *Abeunt ambo.*

SCENA UNDECIMA.

Edmundus. Stychus.

Edmund. - - - NUm domum rediit Thomas ?
Stych. Domum redivit; non tamen satis domi est;

Saltem

Saltem ùt mihi videtur. *Edm.* Anne aditus patet?

Stych. Tentare poteris. Sed priùs dic, obſecro,

An gratulari, an condolere cogitas?

Edm. Utrumque. *Stych.* Utrumque! *Edm.* Si Herus tuus

Incipiat ictus ſapere, tunc illi, & mihi

Jam gratulabor plurimùm. *Stych.* A quo ictùs Thomas?

Edm. Manu Paterna Numinis. Utinam modò

Agnoſcat hanc ſalubriter duram manum,

Lapſúsque jam feliciùs ſurgat Thomas!

SCENA DUODECIMA.

Edmundus. Robertus. Stychus.

Rob. PUondúmne reducem quæris? *Edm* Ut ſolatium,

Et deſtinatum munus afflicto feram.

Rob. Vix ſauciatus animus admittet tua,

Edmunde, monita: Vulnerat acerbo nimis

Regina dicto Juvenis elatam indolem.

Non auribus, ſed pectori intimo gravem

Plagam intulit vox illa: *Bos aſſurge. Stych.* Quid?

Regina dixit : *Surge bos ?* *Edm.* Lapsum Thomæ
Num casui tribuamus ? *Rob.* Et cui alteri ?
An fortè tu miraculum dicis novum,
Si quis choreas inter in terram ruat,
Vestigio fallente ? *Stych.* Corruit igitur
Inter Choreas Puondus ? at nunquid statim
Surrexit iterum ? *Rob.* Surgere vetabat pudor,
Spectantiúmque irrisio. *Stych.* Nunc omnia
Intelligo : Vestigio fallente, humi
Procubuit, & pudore suffusus Thomas
Diutius dum jacuit humi, & instar bovis,
Regina tandem dixit, acclamans Thomæ:
Assurge bos! Hoc nunquid est totum ? *Rob.* Satis
Hoc utique, quod gravissimè affligat animum
Nobilem, & honoris unicè cupidum. *Edm.* Mihi
Si pateat aditus, spero, solamen feram.
Robert. Scis ipse, semper aditus Edmundo patet.

Scena

SCENA DECIMATERTIA.

Thomas. Edmundus. Stychus.

Edm. SAlvere jubeo Plurimùm Illuſtriſ-
ſimum.
Iraſceris? *Stych.* Mihíne? *Edm.* Cur faciem tuam
Avertis? *Thom.* Ah Edmunde! ſecede, obſecro:
Nullius hominis hac die aſpectum fero
plenus pudore. - *Surge bos!* - *Edm.* Fateor quidem,
Acerbus eſt hic caſus; at tamen - *Thom.* tamen!
Quid ergo? *Edm.* Nec tu primus es, nec ultimus,
Cuì mundus inſultavit. *Thom.* At tam turpiter,
Tam publicè, tam acerbè, in oculis totius
Brittanniæ Regina luſit neminem.
Aſſurge bos! Aſſurge bos. - *Stych.* Miror ego, Here,
Duo verba tantùm poſſe generoſum virum
Affligere: certè ducerem ſummo mihi
Hoc ipſum honori, ſi bovem me, vel aſinum
Regina nominaret; hoc enim evidens
Certúmque ſignum familiaritatis eſt

Seſe

Sese inter. *Thom.* Obmûtesce! *Edm.* Liceat xenium
Offerre, quamvis tenue, tamen in tempore:
Hôc námque tristem distrahes mentem librô.
Stych. Sunt elegantes icones. *Edm.* Sacra, ùt vides,
Historia est, quam promiseram dudum tibi.
Thom. Accepto. *Edm.* Semper iconi adjunctam leges
Accommodam sententiam ex libris facris.
Thomas legit. Homo cùm in bonore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus.
Edm. Est icon Assyrii Ducis, quem Numinis
Clementia, ut sanaret, effecit bovem.
Stych. Generose Domine, en! grande tibi solatium.
Rex Assyrius hic seriò in bovem fuit
Mutatus; at tu per jocum tantùm bovi
Es comparatus. *Thom.* Ora malesanus preme,
Aut - *Edm. ad Stychum.* Quin recedas, obsecro, soli loquar.

Scena

SCENA DECIMAQUARTA.

Thomas. Edmundus.

Thomas legit. *COgnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui:*

Remove librum hunc. Non distrahit mentem meam,
Potiùs dolorem renovat: haud quidquam objicit
Oculis meis, & auribus præter boves.
Edm. Amice! liceat dicere id, quod sentio:
Non casus est infaustus, ùt credis, hodie.
Divina Providentia hos ludos dedit;
Hæc te monere voluit, atque suaviter
Corrigere: nempe positus in honorum gradu,
Intérque plausus aulicos Dei parùm
Memor fuisti; tempus hoc adeò sacrum
Dandum sacris, & cultui nati recèns
Dei hominis, impendis profanis lusibus,
Et vanitati. Justus effecit polus,
Ut jam pro honore dedecus ex Aula feras,
Pro plausibus ludibria. Insipientibus

Es comparatus hac die brutis; bovi
Es similis habitus, ut ita cum Assyrio Duce
Agnoscere DEum, & sapere tandem disceres.
Tam turpiter te passus est labi DEus,
Ut surgeres felicior. Noscis modò,
Aulæ favor quàm fragilis, & quàm sit levis.
Thom. Fatebor equidem, vanior fui hac die:
Præsepe Salvatoris ùt nugas leves,
Atque pueriles spreveram; num ideo tamen
Me sic DEus deserere? tot ludibriis
Exponere? *Edm.* Haud te deserit hodie DEus;
Sed te paternè corrigit. *Thom.* Duram nimis
Correctionem! *Edm.* Sed salutarem simul.

SCENA DECIMAQUINTA.

Thomas. Edmundus. Dromulus.

Drom. Citò, gratiose Domine! te Domina Parens
Exspectat avida. *Thom.* Me Parens? *Drom.* Jam nuntiô

Lætis-

Lætiſſimô recreata per me plurimùm
Vires novas collegit, & lecto exîit.
Thom. Quo nuntio lætiſſimo? *Drom.* De ſtrophiolo,
Et regio favore - - quid mœſtùm ingemis?
Saltandô fortè factus es feſſus nimis?
Igitur quieſcas. Veniet huc Domina Parens.
Thom. Abſiſte. Claude limina: ad me neminem
Admitte. *Drom.* Quàm mirabilis hodie mihi,
Domine, videris! Saltus, ùt credo, capitis,
Vertiginem creavit. *Thom.* Abſiſte, impero,
Et claude limen. *Drom.* Si tuo forem loco,
Omnes feneſtras panderem, & portas domûs,
Et publico me exponerem, ac plauſus novos
A tranſeuntibus undique exciperem. *Thom.* Sile,
Jubeo, & recede hinc inſolens. * - *Aſſurge bos!* - * *Abit Dromulus*
Edm. Nimium dolorem mitiga. *Thom.* Nimius dolor
Quis eſſe poſſit tanta poſt ludibria?
Dixi:

Edm. Dixi: Thomas nec primus est, nec ultimus,
Cui mundus insultavit. Aude par pari
Referre promptus. Sperne spernentem. Vocat
Ad altiora providus Puondum DEUS:
A vanitate sæculi vì te eripit,
Qui sponte non es ausus uni te DEO
Sacrare totum; quò tamen dudum intima
Vox cordis invitabat. *Thom.* Ah Pater! nimis
Vera asseris, tangísque vulnus pectoris.
Recalcitravi, agnosco, contráque stimulum
Recalcitravi. *Edm.* Non tamen cessat DEUS
Recalcitrantem urgere: te, nolis, velis,
Sibi vult habere solus, & totum quidem.
Thom. Ah! pergito, Pater! pergito, audiam lubens:
Solamen increpatio hæc affert mihi.
Ed. Non increpo; sed hortor, ut tandem - -

SCENA ULTIMA.

Thomas. Edmundus. Carolus.

Carolus. - - - - Pater
Edmunde, nullibi meo Præsepio

Aptum invenire, aut eruere possum bovem.
Thom. Hìc, Frater, hîc, quem quæris, en! habes bovem,
Qualem ipsamet Regina submittit tibi.
Carol. Mihi bovem Regina? citò monstres, rogo.
Pulcherrimus erit; non dubito. *Thom.* Vides bovem
In Fratre! talem me Aula, talem me palam
Regina proclamavit. Ergo sit: ero bos;
Jugum feram, non perfidi mundi, aut nimis
Fallacis Aulæ, sed jugum Christi leve.
Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Ego cùm in honore essem, non intellexi, comparatus jumentis insipientibus; bos declaratus, agnosco jam *possessorem meum,* & *præsepe Domini mei.*
Carol. Quid ista, Pater? *Edm.* Hoc dexteræ excelsi est opus.
Thom. Jam fastuosa cornua, & vanæ nimis
Insignia Aulæ pono. * Tibi, Frater, meam
Hæreditatem, splendidas domos, opes,

* *Deponit ad pedes JEsuli galerum, & torquem.*


Et jura promptus cedo ; non decent bovem
Palatia hæc : Inquiro ſtabulum , ſed tuum,
Divine Puſio ! ſtabulum. Admitte hunc bovem ;
Impone, quod placet, jugum ; vel ſi placet,
In victimam totum accipe , & tibi immola.
Sicut jumentum factus ſum coram te.

O. A. M. D. G.



SAN-

SANCTUS PAULINUS
NOLÆ EPISCOPUS.
DECLAMATIO
IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.



ARGUMENTUM.

DIvini amoris hodie incarnati Ectypon damus, Paulinum Nolæ Episcopum. Hic Divinum Filium, qui, *cùm in forma DEI esset, humiliavit semetipsum, formam servi accipiens*, imitatus, se quoque pro redimendo pauperis viduæ filio, à Vandalis capto, in Vandalorum servitutem dedit, & per plures annos Genserici Principis Ethnici hortum, ùt vile mancipium, coluit, donec demum agnitus à Genserico, tanta virtute commoto, cum Nolanis omnibus liber dimissus est. *Surius, & Gregorius Magnus.*

Scena ponitur in horto Regio, in Festo Nativitatis Domini.

PER-



PERSONÆ.

Paulinus, *ſub nomine Abdalonymi, & habitu Mancipii.*

Genſericus, *Princeps Vandalus.*

Partharitus, *Nobilis Nolanus.*


Bertulfus, *Nobilis Nolanus, Paulini ex Sorore Nepos.*

Alii Nobiles Nolani, ſed jam Vandalorum mancipia.

Melindus, *Viduæ Filius.*

Beryllus, *Genſerici Ephebus.*

Alaſtor, *Carceris Præfectus.*



PARS PRIMA.

SCENA PRIMA.

Scena refert Hortum, & in ejus quodam angulo structum à Paulino Præsepium. &c.

Paulinus, sub habitu Hortulani, & nomine Abdalonymi.

SIc est. Silendô loqueris, ô verbum Patris!
Non ore, sed, quod melius, exemplô tuô
Leges amoris, parvule Magister, doces.
In hanc amoris recipe me scholam, precor.
Exempla gestit tanta Paulinus sequi:
Tu Rex supremus cœlitum axem deseris,
Formámque servi Dominus astrorum induis,
Ut servus esset dæmonis liber jugo.
Nolanus, ecce! præsul exemplô tuô
(Si comparare parva tam magnis licet)
Nolanus, ecce! præsul abjectô pedô
In servitutem Barbaram me ipsum dedi
Amo-

Amore miseri, & subditi quondam mei.
Ignotus, exul, imò mancipium graves
Inter labores, inter ærumnas premor,
Ne vidua pauper filiô orbetur suô:
Facti tamen non pœnitet. Amans vincula
Et mancipatum perferam exemplô tuô.
Tecum esse servus gaudeo, ô dulcis
puer!
Adversa quæque JEsuli aspectus levat.

SCENA SECUNDA.

Paulinus. Alastor. Duo Mancipia.

Alastr. SIc lenta ducis otia, ignavum
pecus?
Inutilis senecio! rastrum ocyus,
Nî terga plagîs livida exoptas, cape.
Et vos maligna capita, Galilæi canes!
Sudate porro; vomere, & rastro gravem
Sulcate terram. Lolia ex hortô procul
Avehite, donec impero laborem novum,
Et duriorem. Scutica mea merces erit
Vestri laboris, hac ego demum redux
Lenibo fessa terga.

SCENA TERTIA.

Paulinus. Duo Mancipia.

Manc. I. - - - Prô ſortem aſperam!
Manc. II. O mancipatus triſtis! *Manc. I.* Hac ergo die,
Qua læta plaudit turba Chriſtiadum, recèns
Natum celebrans Filium æterni Patris,
Qui ſolvit orbis vincula, inter vincula
Gemuiſſe miſeri cogimur! *Manc. II.* Quid ſub ſpecu hac
Intueor? eſt præſepe, nî fallit oculus.
Paulin. Hoc nempe noſtra in hortulo hoc ſtruxit manus
Feſtæ diei accomodum. *Manc. I.* Heu! nobis dies
Hæc feſta non eſt. *Paul.* Imò, ſi ſapitis, erit
Hæc feſta vobis pariter, & mihi dies.
Divinus Infans, ſervuli formam induens
Amore noſtrûm, lenit exemplô ſuô
Omnes labores. Servus eſt Natus DEI;
Hoc ſervitutis dulce ſolamen meæ,
Quod ſimilis aliquo ſim Redemptori modo.
Manc. II. Ah Abdalonyme! tanta non omnes tenet
Cupido Chriſtum pauperem, & ſervum ſequi.

Tu

Manc. I. Tu nempe genitus rusticâ tantùm casâ,
Et educatus asperè sentis minùs
Hæc servitutis onera; sed nos, nobiles,
Et enutriti splendidè, atque molliter,
Et ad regendos subditos nati, modò
Mancipia gentis barbaræ fæci infimæ
Servire duram servitutem cogimur!

SCENA QUARTA.

Paulinus. Duo Mancipia. Beryllus.

Beryll. Apporto vobis gaudium magnum, viri!
Redemptio instat. Vandalo exemptus jugo
Vestrûm unus hodie patrios repetet lares.
Manc. I. Nostrûm unus? Et quis ille tam felix? *Manc. II.* Senex
Hic forsan Abdalonymus? *Beryll.* Hic solus nequit
Sperare quidquam. Nobili est natus loco
Captivus ille, quisquis is demum fiat,
Pro quo modò lytrum Principi oblatum meo.
Uterque vestrûm nobili nunquid loco
Est genitus in Campania? *Manc. I.* E Campania
Fors quispiam huc advenit, & lytrum obtulit?

Beryll. Ex urbe, quam, nî fallimur, dicunt Nolam.
Manc. II Hæc ipsa nostra est patria. *Manc. I.* Cœlites boni!
Num vota nostra audîstis? Edic, obsecro,
Quis vultus, aut quis habitus est illi viro,
Qui missus è Campania huc? *Beryll.* Vidi duos
Legationis Principes. Unus vir est
Maturus annîs; nobilem cultus probat,
Atque comitatus. Ut audio, est primariæ
Inter Nolanos dignitatis. *Manc. I.* Est meus,
Non dubito, meus est Genitor. O felix dies!
Manc. II. Et qualis alter? *Beryll.* Junior adhuc, sed paris,
Ut credo, nobilitatis. *Manc. II.* Ah Frater meus
(Sic spero) tandem Fratris edoctus mala
Adest Redemptor! *Beryll.* Igitur alacres plaudite,
Meô refecti nuntiô. Adduco ocyus
Viros Nolanos. *Manc. I.* Hoc rogamus unicè.

SCENA QUINTA.

Paulinus. Duo Mancipia.

Manc. II. O Fausta lux! ô Frater! ô citus veni!

Quo

Manc. Quo gaudio dulcissimum amplectar Patrem!
Paul. Utrique vestrûm gratulor. Cœlum impleat
Utriusque vota. *Manc. II.* Nos tui miseret, Senex,
Cui nulla spes est.

SCENA SEXTA

Paulinus. Duo Mancipia. Beryllus Partharitus. Bertulfus.

Beryll. - - - Ecce! nobiles duo.
Hósne inter est, quem quæritis? *Parth.* Non novimus
Hos. *Beryll.* Sunt Nolani. *Bert.* Non ii, quos quærimus.
Beyll. Alios vocabo. Ferte perbreves moras. * *Abit Beryllus.
Manc. I. O spes inanes! *Manc. II.* Gaudium ô nimis breve!
Manc. I. Cives Nolani! gratiam hanc vestris date
Concivibus, & in patriam reduces, Patres
Monete nostros, quanta nos premant mala.
De liberandis cogitent. *Parth.* Quinam tui
Igitur Parentes? *Manc. I.* Noveris Spuchesios.

Nove-

Manc. II. Noveritis & Cappocii Illustrem Domum.
Bert. Quod ergo fatum tam inclyta natos Domo
Mancipia fecit. *Manc. I.* Martis insanus furor!
Cùm Vandalorum -

SCENA SEPTIMA.

Personis prioribus accedit Alastor.

Alast. - - Sic laboratis, canes?
Abigit eos verberibus Alastor. Galilæa pecora! quos ego. * *Parth.* Indoleo viris
Concivibus, sed - *Alast.* Et senex hic sordidus
Quid hæret antro hoc? nempe consuetum tibi
Adhuc deest jentaculum. Prodi, dabo.
Nudato scapulas; offa præpinguis bove
Intrita vires suggeret novas tibi.
Paul. En! mi Redemptor, pariter exemplô tuô
Ad flagra sum paratus. *Bert.* Innocuum senem
Tam barbarè tractare cur, quæso, paras?
Quid criminis commisit? *Alast.* Est Christi assecla,
Et insuper Nolanus. hoc plus quàm sat est.

O

Paul. O verus utinam jam forem Christi assecla,
Et imitator verus! *Parth.* An fallit oculus,
Auríśque? non vox nota, Bertulfe, hæc tibi est?
Alast. Age jam molosse - *Bert.* Siste temerariam manum,
Aut potiùs in me verte. *Alast.* Mancipium vetas
Me verberare? in gratiam tuam seni
Duplicabo flagra - *Bert.* Partharite! *Parth.* Verbera
Aurô redimere liceat. En! bursam tibi
Hanc cedo. *Alast.* Sic vos miseret ignavi senis?
Sit ergo * vestram in gratiam parco hac die,
Sed cras - - *abit Alastor* -
Paulin. Amici! *Parth.* Præsul! ah quali in statu
Te video! patere, exosculer sacras manus.
Bert. Ego pedes amplector. *Parth.* O tristem simul
Lætámque lucem! læta, dum reddit Patrem;
Simúlque tristis, dum gravatum vinculis,
Et servituti barbaræ addictum objicit.
Bert. Quid mutus hæres? subditos necdum tuos,
Necdum nepotem noscis? En coram tuus

* *Alastor accipit bursam oblatam, & abit.*

Ber-

Bertulſus adſtat. *Parthar.* Partharitus eſt comes.

Paul. Bertulſe! Partharithe! Quî vos huc? *Parth.* Tua,

Venerande Præſul, cauſa nos traxit. Veni, Bertulſe! adimus Principem, ut ſolvat ocyus

Promiſſa. *Paul.* Quæ Promiſſa? *Bert.* Demendos tibi,

Venerande Præſul, compedes. Vale interim.

Paul. Quid, Numen almum, ſtatuis hac de me die?

Vis liberum? captúmve? me totum tuæ
Committo providentiæ. Hoc tamen precor,

Solvas meorum vincula priùs, quàm mea.

PARS SECUNDA.

SCENA PRIMA.

Genſericus. Partharitus. Bertulſus.

Genſ. PRo paupere ſene tanta vos cura occupat?

Hunc propter unum adeſtis? *Parth.* In paupere ſene

Nola tota ſuevit colere communem Patrem,

Hunc

Hunc ergo, quod promiseras, da vinculis
Hodie solutum patriæ, & lytrum cape,
Quodcunque posces. *Gens.* Diximus; me Principem
Scitote, non mercatui assuetum. Senex,
Quem flagitatis liberum, quamvis senex
Inutilis videatur, est nobis tamen
Aptissimus: dexteritate maximà,
Et arte mira regios hortos colit,
Et excolit; carere non velim viro
Adeò perito in arte, qua dudum unicè
Delector. *Parth.* Aurum pro lytro si admittere
Princeps recusat, dabimus alium, qui pari
Dexteritate regios hortos colat,
Et hac in arte præstat haud parùm seni.
Gens. Quis hic, vel unde? *Bert.* Si jubes, sistam ocyus *   * *Abit Bertulfus.*
Parth. Est juvenis, & Nolanus, & mirè sagax,
Quem substituimus viribus fracto seni.
Gens. Nolanus est? & nempe mancipium tuum?
Parthar. Posthac tuum, si Abdalonymum reddas.

Scena

SCENA SECUNDA.

Gensericus. Partharitus. Beryllus.

Berill. Adsunt Nolani nobiles, quotquot suo
In mancipatu regius Princeps tenet.
Gens. Et quid petunt? *Berill.* Adesse concives suos
Læti audiêrunt, quisque se sperat lytrô
Demum afferendô liberum vinclis fore.
Gens. Redeant ad ergastula sua, unicum Senem,
Quem flagitâstis, liberum cedo. *Parth.* Lytrum
Pro pluribus si admitteret Princeps, lytro
Cives Nolanos - *Gens.* Diximus, me Principem
Scitote, non mercatui assuetum. Haud levis
Est gratiæ, dum cedimus vobis virum,
Nobis perutilem.

SCENA TERTIA.

Personis prioribus accedunt Bertulfus, & Melindus.

Bert. - - Ecce! quem Princeps petis,
Horti peritum. *Gens. ad Melind.* Quamdiu hanc artem colis?

Tene-

Melind. Teneris ab annis. Cultor hortorum parens
Hac arte filium imbuit. *Bert.* Vis, ſpecimen
Det artis? age Melinde - *Genſ.* Non vacat hodie
Spectare, verbis credo. *Genſ. ad Beryll.* Alaſtorem mone,
Vincla Abdalonymo ut exuat, liber Senex,
Ut flagitâſtis, abeat ad patrios lares;
Succedat in labore mancipium hoc novum.
Parth. Grates rependat Principi æternas Polus!

SCENA QUARTA.

Partharitus. Bertulfus. Melindus.

Mel. Quid hoc rei, Bertulfe? Mancipium ſuum
Me Barbarus vocavit? *Bert.* Indoleo quidem;
Sed - *Mel.* Ergo pateris eripi ſervum tibi?
Aut tradidiſti barbaro me ipſus jugo?
Bert. Patriæ ſalus quod exigit, feci, licèt
Invitus. *Mel.* Ergo Vandalis ſum traditus?
Parth. In mancipatum Vandali dudum tua
Te tradidêre fata. Captivus utique
Dudum fuiſti. *Mel.* Sed redemptus optimæ

Curâ Parentis. *Parth.* Pessimô Matris dolô.
Jam vincla dudum debita repetas, decet,
Matrísque crimen pessimum natus luat.
Melind. Sic perfidè decipior, hoc vobiscum iter
Suscipere jussus? *Parth.* Perfidam matrem voca,
Non nos. *Bert.* Tibi condoleo, quod dixi, at salus
Patriæ imperat, quod facimus, atque Præsulis
Redemptio. *Mel.* Num Præsul inventus? *Parth.* DEO
Æterna laus, inventus est. *Mel.* Ergo, ùt Nolæ
Jussit Senatus, redimite auro, prodigè
A Civibus collato, in hos usus. *Bert.* Negat
Admittere aurum pro lytro Princeps. Tibi,
Melinde, sit solatio, quòd præsulem,
Qui te redemit, redimere vicissim potes.
Parth. Adeamus ergo Præsulem. *Bert.* Vale, ùt potes,
Melinde, *Melid.* Superi!

SCENA

SCENA QUINTA.

Melindus. Beryllus. Alastor.

Beryll. - - Alastor, En! hic est novus
Successor Abdalonymi; huic vincla injice.
Alast. Salvere jubeo filium novum; manum
Præbe Parenti: stringo te quàm arctissimè - *
Jentaculum si poscis, en! portio bovis -
Pinguissimi - Sapítne? *Melind.* Mater! ah nimis
Infausta Mater! quid tu ad hoc spectaculum,
Si cerneres! quid, si audies? *Alast.* Sile bellua,
Ad rastra mecum. - *Beryll.* Misereor juvenis boni.
Durum Magistrum nactus est in Alastore.

* *Injicit compedes, & nervo bubulo infligit aliquot verbera.*

PARS TERTIA.

SCENA PRIMA.

Paulinus in habitu Episcopali. Partharitus. Bertulfus. Comites.

Paulin. ADoro cœlum providum. Sed dicite:

Auríne multum pro capite vilis ſenis
Expendere Nola debuit? quantum lytrum
Popoſcit Princeps? *Parth.* Mittito hanc curam, Pater.
Lytrum omne parvum Patria ducit, dum ſuum
Videat redemptum Præſulem, *Bert.* Age, mœſtum redux
Ovile Paſtor recrea adventu tuo.
Paulin. Obſequor amicis. Vincula prius indui,
Urgente cœlo, amore miſeri ſubditi:
Vocante cœlo, vincula hæc rurſum exuo
Amore nobis ſubditi à cœlo 'gregis.
Oviculas amplector in vobis meas.
Path. Nos nomine gregis totius ſacras manus
Paſtoris Oſculamur. *Bert.* At Princeps ſubit.

SCENA SECUNDA.

Perſonis prioribus accedit Genſericus. Beryllus.

Genſ. Quid? Abdalonymus Pontifex? *Beyll.* Coram vides.
Paulin. Excelſe Princeps, gratias reddat Polus

Glemen-

Clementiæ, qua hucusque Mancipium
tuum
Dignatus es. Jam vinculis dum liberum,
Ut audio, pronuntias, ſemper tamen
Manebo grata mente devinctus tibi,
Et pro ſalute Principis tanti DEO
Semper ero ſupplex. *Genſ.* Ergo tu Præſul
Nolæ?
Paulin. Indignus equidem. *Genſ.* Quomodo in noſtras manus,
Et mancipatum Pontifex? aut cur Nola
In vinclis deſtituit Antiſtitem ſuum?
Et tamdiu? *Parth.* Deperditum Patrem
optimum
Oras per omnes Patria quæſivit diu,
Ignara, quò devenerit; dum fœmina,
Urgente conſcientia, tandem malam
Confeſſa fraudem venditum à ſe Præſulem,
Et Vandalorum - *Paul.* Parce! nil fraudis malæ
Commiſit illa mulier: ſponte me obtuli.
In mancipatum -

SCENA TERTIA.

Perſonis prioribus accedit Melindus, vinculis onuſtus, & habitu mancipii indutus.

Melind. - - Præſul! ah liceat priùs
Exoſculari dexteram, antequam procul

Discedis hinc. *Paulin.* Melinde! quod fatum novum
Conjecit hæc in vincula, quem ut ego redderem
Mœstæ Parenti, vincula ipsius indui?
Melind. Hos * si placeat, interroga, quali lytro
Caput tuum redemerint. *Paulin.* Forsan tuô?
Quid hoc, amici? quid agitis? *Bert.* Quod nos Nolæ
Senatus agere jussit, & Patriæ salus.
Parth. An ferre Patria possit, ut Præsul suus
Hæreret inter vincula; idque pro unico
Vilique capite? *Melind.* Fateor ipsius, has fero
Meritò catenas, debitas dudum mihi,
Qui præda Vandalorum jam dudum fui.
Paulin. Non, non amici! nulla Paulinum dies
Vobis videbit redditum, suus nisi
Matri redibit filius. Princeps! tuum
In mancipatum redeo: demptos compedes
Mihi denuo jube injici. *Gens.* Quid hoc rei?
An liber esse renuis? aut cur hæc tibi
De juvene cura? *Paulin.* Sequimur exemplum DEI,

* *Denotat Parthenium & Bertulfum.*

Legés-

Legésque amoris, quas docet Natus DEI,
Qui servus esse voluit, ut nos liberi
Essemus omnes dæmonis tristi jugo.
Parth. Quid, Præsul, agitas? penitus oblitus tui es,
Tuæque Patriæ. *Bert.* Sic oves tuas amas?
Paulin. Melinde, redde vincula! hæc pro te indui,
Et ad necem usque vincula hæc pro te feram.
Melind. Ah Præsul! est hic nimius in servum favor,
Amórque nimius. Sat diu pro me hactenus
Dira tolerâsti vincula; hæc lubens feram
Nunc ipse, jamsacrata contactu tuo.
Mihi cede, quæ sum meritus, & felix abi,
Meique saltem precibus in tuis memor.
Commendo pariter pauperem Matrem tibi.
Gens. Sic fit. Nolam reducite optatum diu
Patriæ gementi Præsulem: illius loco
Ut mancipatum subeat hic servus, decet.
Parth. Ter magne Princeps, vive! sic digna statuis.
Paulin. Ter magne Princeps, vivere diu si cupis,
Statuta revoca, méque lubentem tuo
In mancipatu detine, ac Matri suum
Remitte Natum. *Bert.* Quæso, quid denuo agitas?

Quousque votis omnium obsistes Pater?
Parth. Si Vandalorum captus est armis puer,
Cur servitutem tantus Antistes subit?
Paul. Si dæmonum constrictus est vinclis homo,
Cur servitutem Filius DEI subit?
Bert. Episcopus utique subditô est major suô?
Cur ergo formam mancipî pro illo induas?
Paulin. Et nónne major homine Filius DEI est?
Tamen ille formam mancipî pro illo induit?
Parth. Ergóne cives, patriam & tot subditos
Præsul relinquens exiges vitam infimam
Abjectus inter olera? *Paulin.* Dum Cives Poli,
Sinúmque Patris deserens Natus DEI
Abjectus est ad stramina. *Gens.* O miram fidem!
Parth. Princeps! pro utroque capite si demum lystrum
Admittis, ecce! * *Gens.* Diximus: me Principem
Scitote, non mercatui assuetum. Senex
Hodie triumpha: assentior votis tuis.
Depone vincla, Juvenis, & liber tuam
Redi

* *Offert aurum.*

Redi ad Parentem. *Paulin.* Vincula restituas mihi.

Path. Ergóne, Princeps, pacta regali fide, Propriáque verba retrahis? *Bert.* Ah! noli unius

Voto impotenti cedere. *Parth.* En! supplex tibi

Nola tota per nos accidit, suum sibi

Reddi rogans Antistitem, invitum licèt.

Paulin. Et misera per me supplicat Mater tibi,

Ne natus abstrahatur à miseræ sinu.

Me, me volentem detine in vinclis tuis.

Gens. Cessate precibus. Diximus: vicit senex.

Virtus triumphat; Juvenis ad Matrem suam,

Tantúsque Præsul redeat ad cives suos.

Utrumque jubeo liberum.

SCENA ULTIMA.

Accedit Personis prioribus Beryllus. Alastor. Mancipia plura.

Beryll. - - - Princeps! tibi

Mancipia per me supplicant, ut Præsulis,

Quem coram adesse audiverant, liceat manum

Exosculari. *Gens.* Mancipia? quænam? *Beryll.* Nola

Quos genuit. *Manc. I.* Abdalonyme! (si
liceat adhuc
Hoc nomine ut i) parce, si ignari hactenus
Despeximus, quem colere nostrum Præ-
sulem
Decebat. *Manc. II.* O quàm servitus dul-
cis mihi
Fuisset in consortio tuo, Pater!
Si, qualis esses, scire potuissem priùs.
Paulin. Ah filii charissimi! desistite -
Gens. Súntne hi Nolani, subditi pedo tuo?
Paulin. Fuêre: sed - *Gens.* Solvantur
omnes ocyus. -
Omnes Nolanos gratiam in tuam, Pater,
Jubemus esse liberos. DEum tuum
Pariter mihi placare vir DEI stude.
Parth. & omnes Nolani. O magne Prin-
ceps, vivito æternos dies!
Paulin. Quàm vota vincis omnium! &
dum vincula
Tot subditorum solvis, æternùm tibi
Devincis omnes munere? *Parth.* O quan-
tas tibi
Debemus omnes gratias! *Gens.* Huic
Præsuli
Plus, quàm mihi debetis: hic solus meum
Virtute tam mirabili pectus movet.
Huic agite grates debitas * *Paulin.* Imò
meliùs

* *Abit Gensericus cum Berylo.*

Agamus

Agamus omnes gratias nato recèns
Patris Supremi Filio : hic forti manu
In vota flexit Principem : hic ſolus quoque
Me ſic amare docuit : hic nos hac die
Non ſervitute barbara tantùm eripit ;
Sed duriore dæmonis ſolvit jugo.

O. A. M. D. G.



DECLAMATIO
IN FESTO
PASCHATIS.

PER-



PERSONÆ.

Nemeſius, ſeu Juſtitia Divina.

Duo Angeli.

Amor.

Furor.

Chriſtus Redivivus.

Comites.

Scena exhibet Sepulchrum Chriſti apertum, & in eo Cadaver Chriſti.

Scena



SCENA PRIMA.

Nemesius. Duo Angeli. Comites Nemesii.

Nemes. PRô scena tristis! Natus æterni Patris
Hæresque Regni primus, & Princeps Poli
Funus, cruento vulnere peremptus, jacet!
Ocellus orbis, gaudium Cœli unicum
Tumulo gemente clauditur! Lethum premit
Vitæ Datorem! *Ang. I.* Funus hoc non lachrymas
Sterilémque luctum, vindicem at poscit manum.
Tibi Machæram criminum ultricem Polus
Dedit vibrandam: munus exequere tuum.
Ang. II. Qui vindicabas acriter Abelis necem,
Non vindicabis Numini illatam necem?

Nemes.

Nemeſ. Ulciſcar : At vos cædis authorem date.

Angel. I. Jam dicta conſtans repeto: tanto vulnere

Divum ferire pectus haud mortalium
Vis ulla potuit; fortior id auſa eſt manus,
Potentiúsque telum : Tantam victimam
Straviſſe ſolus potuit omnipotens amor.

Angel. II. Non hoc amori congruit: non eſt amor
Crudelis adeò. Solus hæc audet furor.

Nemeſ. Brevì patebit. Illico tribunal meum
Uterque ſubeat. * Themidis hos faſces ſacros,
Et hanc bilancem juro, juro vindicem
Scelerum machæram, quisquis eſt facti reus,
Amor, Furórve, debitas pœnas dabit;
Si tamen atroci ſcelere condignam ſatìs
Reperire pœnam fuerit. *Angel. I.* Hoc omnes Poli
Cives precamur. *Angel. II.* Poſcit hoc Divûm Pater,
Natíque cœdem neſciet inultus pati.

* *Abeunt ex Satellitio Nemeſis, reos adducturi.*

SCENA

SCENA SECUNDA.

Nemesius. Duo Angeli. Furor. Satellites.

Nemes. Adesto : cœcum pone velamen, Furor.
Huc torva fige lumina, & vultus truces.
Furor. Spectacla cerno grata : depressum Caput,
Lacerata dirum membra, perfossum latus
Pascunt Furoris lumina. Unum displicet,
In hoc cadavere undique nimis saucio
Superesse nullum vulneri novo locum.
Angel. I. Immanis, atrox, barbare, & semper Furor
Genuine ! non mitescis ad spectaculum,
Quod atterat vel belluas ? *Furor.* Nescit Furor
Mitescere ulla cœde : naturam nequit
Exuere ; visîs alitur, & crescit malîs.
Superesset utinam corpori huic vel guttula
Cruoris, illam cupidus hauriret Furor,
Ut adhuc prementem denique extinguat sitim.
Nemes. Fateris ergo machinis stratam tuis
Cecidisse tantam victimam ? *Furor.* Quin glorior,
Tandem Furori dum ipse succubuit DEus,

Adducitur Furor cruenta fascià tectus oculos, quam dein removet.

Mox

Nemes. Mox gloriari desines. *Furor.* Timeo nihil.
Sævire dum licuerit, ùt lubuit, juvat
Perire, mecum si orbis, & cœlum perit.

SCENA TERTIA.

Personis prioribus accedit Amor.

Nemes. Velamen oculis deme. Quid coram vides? *Adducitur Amor etiam fasciâ oculos tectus.*
Amor. Agnosco Amoris victimam, & serò licèt,
Quod ipse feci vulnus, & funus, fleo.
* O nota dudum pectora, & constans diu ** Ad cadaver Christi.*
Sedes amoris! hæcne tandem prœmia
Ingratus hospes reddo? quod frustra Furor
Tentârat, illud proditor, & audax Amor
Tandem peregi. Dedimus heu! Deum neci.
Furor. Quid falsa jactas tam impudens, quàm audax Amor?
Fatô perempti Numinis soli mihi
Fas gloriari: Victima Furoris jacent
Divina membra. *Amor.* Neutiquam ego jam glorior;
Sed, quod patravi, fateor, & soli mihi
Fas est est dolere; Victima enim Amoris jacet
DEus ipse. *Angel. II.* Verè te igitur accusas reum?
Amor. Est hæc Amoris indoles, ut candidè
Fateatur, imo corde quod clausum latet:

Simulare nescius etiam se ipsum nequit
Non prodere: est sincerus, atque audax
Amor.
Furor. Est impudens. *Angel. I.* Mirabile
hoc pugnæ genus!
Uterque præsens Judici certat reus,
Nocénsque haberi. *Nemes.* Primus ergo
dic, Furor,
Qui gloriaris Victimam tantam tuo
Cecidisse ferro, quomodo id demum
probas?
Sibi hos triumphos arrogat, ùt audîsti,
Amor.
Furor. Mei triumphi singulos testes voco,
Qui vel cruentam Numini optârunt necẽ,
Quíve intulerunt: nempe Synagogæ
Duces,
Te, plebs Hebræa, téque, Romulidum
manus,
Appello, vestra corda quis tandem impulit
In innocentis fata, nisi solus Furor?
Amor. Te, summe Divûm Rector, &
summi Patris
Te Nate testor, corda quis tandem tua
Adegit, ut, quam fugere potuisses necem,
Ultro subires? Nónne te solus potens
Amor subegit? *Furor.* Dic, quis ad Get-
semani
Hortós cruentam militum eduxit manum?
Quis arma, fustes, tela, quis gladios dedit?
An

An non per umbras noctis, & cœcas vias
Furor ipſe turbis præτuli ardentem facem?
Amor. Quis, dic, ad hortos, & Olei montem prior
Eduxit atri præſcium fati DEum?
Nónne ipſe Ductor præτuli ardentem facem,
Et in paratas impuli inſidias Amor?
Furor. An non in hortis prodito, & capto DEO
Funes, catenas, vincula injecit Furor?
Amor. Hæc vincla ne diſrumperet DEI manus,
Amor tenebat vinculis ſtrictam ſuis.
Furor. Amor tenebat? *Amor.* Ipſe vidiſti, Furor:
Cùm ducta per te turba latronum ferox
Una tonantis voce, tanquam fulmine
Proſtrata, prono vertice feriret ſolum,
Rigidáque ferrum caderet, & telum manu;
Cur hæſit ultra Numen? aut cur perfidis
Non ceſſit hortis? hoſtibus ſtratis fugam
Quis impedivit? Nempe Divinas Amor
Jam fortiori ſtrinxerat vinclo manus:
Amor ipſe veſtris prodidi telis DEum.
Furor. Nunquid ego duris terga laceravi flagris,
Sertóque ſpinis horrido oppreſſi caput?

Amor. Laceranda flagris corpora columnæ prior
Amor alligavit : flexit ad ſpinas caput.
Furor. Cruci , quid ultra diſputo ? affixit Furor.
Amor. Sed inde ne deſcenderet , Amor retinuit.
Fnror. Hæc haſta, (quis negaverit?) fodit latus,
Pectoréque rupto ſanguinem , & vitam expulit :
Adhuc rubentem cernis. *Amor.* Hæc haſta expulit,
Fateor, cruorem corpore ; at vitam mea
Priùs expulêre tela. Quid multis opus ?
Perimere Numen voluit , haud potuit Furor ;
Perimere Numen voluit, & potuit Amor.
Angel. I. Quæ cauſa , dicite , impulit veſtras manus
In innocentis fata ? *Angel. II.* Quídve in vos mali
Patrare potuit ille , qui ſummum bonum eſt ?
Furor. Cauſam Furoris quærere inſanum eſt : Furor
Non furere neſcit : ſeû bonus , ſeû ſit malus ,
Quisquis Furori occurrit , hunc ſternit Furor.

Amor.

Amor. Nec petitur à me causa : scitis, nemini
Parcunt Amoris tela : vicisse omnia
Proprium est Amori. *Nemes.* Fuerit. Haud posthac erit.
Excipite jam sententiam nostram, rei :
Ex talionis lege judicabimus.
Quæ quisque vestrûm Numinis Nato intulit,
Patietur ipse vulnera, & diram necem.
Angel. I. Est pœna levior crimine; at dignam satis
Reperire cùm non fuerit, hanc saltem ferant.
Angel. II. Jam Cœlites monemus : applaudent tibi,
Quòd vindicâris Principis sui necem.

SCENA QUARTA.

Nemesius. Amor. Furor. Comites Nemesii.

Clausô sepulchrô paratum stat pegma, in quo crux, clavi, spina, flagra &c.

Nemes. Ferale pegma scande frustra audax Amor :
Post lacera flagrîs corpora affixus cruci
Victima cruenta propriô telô cades.
Infame munus carnificis aget Furor,
Suus ipse postea futurus carnifex.
Furor. Implebo munus strenuè : modò cadat

Amor, Furori promptus immoriar meo.
Amor. Hæc cuncta merui, fateor, & lubens Amor
Pro sanguine dabo sanguinem. * Abjicio rosas:
Hæc spina nocuum verticem meliùs decet,
Et hanc tremendam promptus amplector trabem:
Infige clavos: porrigo nocentes manus,
Pedesque justo vulneri: pectus quoque
Vides paratum: tela jam experiar mea. **
Furor. Subeunda primùm flagra, tunc demum crucis
Laniata dirùm membra pendebunt trabe.
Amor. In dura pariter flagra promptus est *** Amor.

* *Deponit coronam roseam, quam capite gestabat, & imponit sibi spineam.*

** *Procumbit Amor supra crucem.*
*** *Surgens à cruce, raptatur à furore ad columnam, & flagra &c.*

SCENA QUINTA.

Nemesius. Amor. Furor. Angelus.

Angel. Differte, moneo, debitas pœnas reis;
Sententiam dùm comprobet Judex novus,
Cuî causa tota tradita à Divûm Patre.
Nemes. Judex novus? quis ille?

SCENA

SCENA SEXTA

Personis prioribus accedit Christus redivivus. Comites.

Christus. - - Præſentem vides.
Redux ſepulchro , & invictæ Victor ſtygis,
Mortíſque venio. Pono perſonam rei,
Quam ſuſtinere hucusque me juſſit Pater:
Aſſummo partes Judicis. *Nemeſ.* Lubens tibi
Hos cedo faſcès. Judica jam , & vindica.
En ! digna pœnis capita. * *Chriſt.* Qui ſunt hi rei ? *(* Abit Nemeſius.)*
Angel. Amor , Furórque. *Chriſt.* Mortis authorem meæ ,
Solum hunc amorem noſco : nil potuit Furor.
Jacui ſepulchro unius Amoris victima.
Amor. Id faſſus ultro flagra , ſpinas , & crucem
Amor ſubire promptus eſt. *Chriſt.* Et quid Furor ?
Equidem nil ille potuit , at voluit tamen.
Tentâſſe nunquid pœnitet mortem meam?
Furor. Tentâſſe tantùm pœnitet mortem tuam ;
Vellem intuliſſe. *Angel.* Vindica votum improbum !

Christ. Audite jam sententiam nostram : Furor,
Quam fabricavit, ipsemet tollat crucem,
Ferátque, donec esse desiscat Furor:
Fortè furibundum molliet virtus crucis.
Amor quoque crucem semper, at blandam feret, *
Quam sanguine meo fronte depingo tua.
Amor. O gloriosa stigmata! ô pœnæ genus
Votis petendum plurimis! non hoc Amor,
Proditor iniquus, meruit. *Christ.* O mi Proditor
Amœne, quam beata proditio tua!
Quàm fausta fixit vulnera hoc telum tuum!
Id Jam resume: * curre per mundi plagas,
Cœlíque tractus pervola, & quotquot potes,
Telis iisdem saucia, queîs cor meum
Bene vulnerâsti: plurimi ut mecum novâ
Læti resurgant gloriâ, fac plurimi
Mecum cadant, beatæ Amoris victimæ.

** Deä prompto ex sacris vulneribus sanguine in fronte Amoris depingit crucem.*

**Reddit Amori telum.*

O. A. M. D. G.



JOSE-

JOSEPHUS
AB
ARIMATHÆA;
DECLAMATIO
IN FESTO
PASCHATIS.

ARGUMENTUM

DEdit S. Evangelium, præſertim S. Matthæi cap. 27. verſ. 57. & ſequentibus &c. quod quia ſat notum jam omnibus, hîc pluribus non neceſſe eſt explicari.



PERSONÆ.

Joſephus ab Arimathæa.

Benjaminus, *Joſephi filius.*

Semaias, Gamaliel, } *Phariſæi, & Synagogæ Principes.*

Clepax, Furax, } *Servi domeſtici Joſephi.*

Decurio.

Milites.

SCENA



SCENA PRIMA.

Josephus ab Arimathæa. Benjamin, Josephi filius. Furax, & Clepax latentes sub virgultis.

Scena exhibet hortum, in ejus extremitate petram cum monumento, & appensa Lampade.

Joseph. SIc est: Thesaurum, Nate, pretiosissimum
Hoc claudit antrum: divites sumus nimis,
Nimis beati munere hoc. *Benjam.* Tuæ, Pater,
Industriæ debebit æternas Domus
Arimathæa gratias: pietas tua
Tantas opes huc intulit. *Joseph.* Quas plurimi
Jure inviderent, si æstimare sat sciant,
Quod hac spelunca clauditur. *Benj.* Quàm in tempore
Novum sepulchrum in concavo firmæ petræ,
Pater, parari jusseras! *Joseph.* Non hos quidem,
Fateor; in usus jusseram condi; meo,
Aut conjugis cadaveri tumulum loco
Hoc destinâram. *Benj.* Quàm modò servit bene

Conten-

Condendo pretiosissimum, & charissimum
Nobis thesaurum. *Joseph.* Non tamen nostro diu
Latebit horto, transferendus hinc brevì.
Benj. Quò transferendus? aptior quis sit locus?
Joseph. Hoc, Nate, mecum lætus audies brevì,
Et antequam sol occidens claudat diem,
Nunc hanc parenti cistulam vacuam refer,
Et si dolentem inveneris, solatium
Asperge. Dic, meminerit, hoc horto suo
Quid lateat, & quid porro sperandum.
Benj. Ut jubes.

SCENA SECUNDA.

Benjamin. Furax. Clepax.

Furax ad Clepac. Audistin'? *Clep.* An tu pariter audisti? *Fur.* Sile.
Benj. Quid inter hæc virgulta Furax, & Clepax
Tam manè, nondum sole satis orto?
Clepax. Sumus
Servi fideles, prævenire qui diem
Solemus. *Furax.* Hortum excolere jussi hîc adsumus.
Clepax. An fors herilis filius alium imperas

Nobis

Nobis laborem ? ciſtulam hanc, ſi te
gravat,
Mihi ferendam cede. *Benj.* Quid vacua
gravet ?
Furax. Tota vacua eſt ? *Clep.* Sed plena
nunquid te priùs
Multùm gravabat ? pondus eſt auro
grave.
Benj. Aromate priùs plena, non auro
fuit.
Furor. Aromate ? *Benj.* Hôc cadaver il-
latum recèns
Tumulo parens inunxit. At nolim moras
Veſtro labori injicere.

SCENA TERTIA.

Furax. Clepax.

Furax. - Quàm impudens puer
Ex tempore ita mentitur in faciem
mihi !
Aromate hôc cadaver illatum recèns
Tumulo Parens inunxit. *Furax.* His niſi
auribus
Ipſe audîſſem colloquia Nati, & Patris,
Et de theſauro condito dicta, puero
Mox credidiſſem, mortuum illatum re-
cèns
Huic ſepulchro. *Clepax.* Si audeas, mi-
raculum

Patra-

Patramus, atque hunc mortuum è tumulo ſuo
Reſuſcitamus. *Furax.* Fateor, urget me gravis
Tentatio; Sed timeo. *Clepax.* Quid? num tangere
Times cadaver? *Furax.* Neutiquam; ſed væ mihi,
Tibíque! ſi miraculum hoc fiet palam.
Clepax. Patremus id in abſcondito, ſine teſtibus:
Nec mortuus nos prodet. Eja! ad rem citò.
Furax. Sed qua ſpeluncæ parte defoſſum latet
Hoc aureum cadaver? explora priùs:
Ego interim horti ad oſtium ſtabo vigil.
Clepax. Prægrande ſaxum non vides, quo clauditur
Fictum ſepulchrum? quomodo removebimus?
Furax. En! ferrea inſtrumenta diverſa. *Clepax.* Sequere.
Utrique ſat difficilis incumbet labor
In perforando lapide. *Furax.* Jam plena die
Tentare talia haud ſatìs tutum mihi
videtur: Exſpectemus; inter proximæ
Noctis tenebras tutiùs miraculum

Patra-

Patrabimus. *Clepax*. Quid? proxima nocte? interim
Si mortuus resurgat è tumulo suo?
Non audiisti dicta? *Furax*. Cujus? *Clep*. Nostri Heri
Hoc de thesauro, nempe: *Non nostro diu*
Latebit horto, transferendus hinc brevì,
Et antequam sol occidens claudat diem.
Utamur ergo tempore. *Furax*. Ego lucem horreo:
Inter tenebras agere soleo audaciùs.
Clepax. Noctis tenebras improbi fures amant;
Ego vir honestus audeo pleno die
Artem meam exercere; sequere strenuè,
Fortuna strenuos, & audaces juvat.
Furax. Sed hoc, Clepax, quid? - Ecce! signatus lapis.
Clepax. Quid inde? Barde! nónne signatas quoque
Oves lupus prædatur? Eja ad rem citò.
Effringimus -

SCENA QUARTA.

Furax. Clepax. Decurio. Duo Milites.

Decurio. - Cohibete sceleratas manus.
Constringe, miles, vinculis fures. Ego
Moneo

Moneo monendos. *Mil. I.* Alligamus arbori
Huic propinquæ. *Mil. II.* Hæc interim pro carcere,
Et forsitan pro patibulo quoque serviet.
Mil. I. Animate vos jam mutuò ad piam necem.

SCENA QUARTA.

Furax, & Clepax arbori alligati.

Furax. Fortuna strenuos, & audaces juvat!
O ut, Clepax, te mille dæmones! *Clep.* Piè
Mori volentes imprecari non decet.
Furax. Mori volentes? ergo vis mori? *Clepax.* Quia
Debebo; sed solatio tamen mihi est,
Habere socium in morte mihi charissimum;
Et gloriæ mihi duco, si ad latus tuum
Pendere potero. *Furax.* Sicne, nugaris etiam
Tanto in periculo? *Clepax.* Strenui ita solent viri.
Furax. Vir strenuus tu! vah! scelestè! huc denique
Trahis innocentem! *Clepax.* Te traho ad mortem piam,

Et

Et gloriofam. *Furax.* Gloriofam? *Clep.* Patribus
Meis, Avísque gloriæ femper datum,
Quòd ftrenuè pependerint alta ex trabe;
Veftigia Patrum filius non degener
Sequatur. *Furax.* Heu! pendere non pof-fum; mori
Non poffum in hac ætate, nondum patibulo
Maturus. Heu! *Clepax.* Sile, obfecro: pudeat virum
Sic flere ad inftar fœminæ.

SCENA SEXTA.

Semajas. Gamaliel. Decurio.

Decurio. - - En! quos arbori
Huic alligatos cernitis, deprêndimus
Nos in flagranti. *Semaj.* Eftisne Galilæi? citò,
Et candidè loquamini: quæ patria
Utrique veftrûm? *Clepax.* Egò natus in Bethel, Patre,
(Ut Mater inquit) milite vago. *Furax.* Non procul
A Galgalis me genuit infęlix parens.
Gamal. Et quomodo huc vos? vel quid hîc negotii
Vobis? *Clepax.* Herus nos mifit huc. *Gamal.* Qualis hic herus?

Furax. Noster. *Gamal.* Quis ille vester
est herus? *Furax.* Hujus
Possessor horti. *Clepax.* Noscitis utique
Dominum
Ab Arimathæa? *Gamal.* Hic ergo tumulum effringere
Vos jussit hodie? *Clepax.* Filius herilis
recens
Cadaver hîc jacere dixit, hoc piè
Inungere volebamus; ast hi milites
Nos obruerunt, nescio, cur: forsitan
Fures putârunt, nescii domesticos
Nos esse, qui nil facimus invitis Herîs.
Semaias ad Gamal. Audis modò, quod
dixeram priùs: favet
Josephus impostoris enecti asseclis:
His reddere studet corpus infamis hominis,
Resuscitatum spargere ut possint virum,
Novísque ludere populum Hebræum
dolis;
Turbásque concitare nos contra novas.
Adhúcne dubitas? *Gamal.* Anne Herus
vester domi est?
Furax. Nolite, quæso, prodere miseros. Sacri
Viri estis, ùt videtur: his à vinculis
Jam pœnitentes solvite, aut saltem preces,
Ut vinculis solvamur, interponite.

Semaj.

Semaj. Fateamini ergo candidè: an non hoc jacens
Tumulo cadaver improbè ſubducere
Paraſtis, & jubente veſtro Hero - *Gamal.* Sed en!
Joſephus ipſe.

SCENA SEPTIMA.

Perſonis prioribus accedit Joſephus.

Joſephus. - Quæ favens nimiùm mihi
Fortuna tantos hoſpites horto meo
Induxit? *Semaj.* Huc devenimus non nomine
Noſtro, ſed altiore legati à manu:
Synagoga per nos tota pretioſum nimis
Depoſitum, & horti ſplendidi decus novum
Tibi gratulari voluit. *Joſeph.* Et quale hoc decus?
Semaj. Quo Pontius donavit Illuſtrem Domum
Arimathæam. *Joſeph.* Pontius, fateor, mihi
Donavit optatiſſimum, & ſummum decus,
Quo glorari hic hortus æternùm poteſt.
Omni Theſauro jure pretioſum magìs
Æſtimo, quod hæc ſpelunca concludit ſinu.
Gamal. Debebit ergo plurimùm nobis Domus

Arimathæa, quando, ne tantum decus,
Tantos thesauros aufferat furax manus,
Custode vigili cavimus. *Semaj.* Et in tempore:
Parùm abfuit, quin tumulus effractus dolo
Resuscitatum reddidisset mortuum.
Joseph. Non capio dicta: *tumulus effractus dolo*
Resuscitatum reddidisset mortuum!
Semaj. Hoc explicabunt, quos vides, servi tui.
Furax. Ah! Domine, misericordia! *Clepax.* Sileto stupor!
Semaj. Quis vos subire jussit hos hortos *Clepax.* Herus.
Joseph. Ita est: domestici mei sunt. Vinculis
Quare ligantur? *Semaj.* Quis sepulchrum effringere
Vos jussit? obmutescitis? *Joseph.* Num effringere
Tumulum parârunt? *Semaj.* Quo jubente? loquamini.
Furax. Ah! Domine, misericordia! *Clepax.* Sileto stupor!
Joseph. Loquamini. Quis jussit huic tumulo manum,
Vímque admovere? *Clepax.* Jussit hoc in mortuos

Pietas.

Pietas. Jacere conditum ſub hac ſpecu
Aliquod cadaver filius dixit tuus,
Inungere volebamus hoc funus pii.
Joſeph. Vos mortuos inungere? adverto, improbi,
Conſilia veſtra: nempe colloquium meum
Cum filio audiviſtis, iſthac ſub ſpecu
Quantus theſaurus lateat, hunc ergo clepax
Fracto ſepulchro rapere tentavit manus.
Furax. Ah! Domine, miſericordia!
Clepax. Sileto ſtupor!
Nil rapere, ſed videre tantùm voluimus,
Et pro neceſſitate tantùm paucula,
Fideliter reddenda, tanquam mutuum
Accipere. *Joſeph.* Tales nutrio ſervos domi?
Furax & Clepax. Ah! Miſericordia Domine! *Clepax.* Sileto ſtupor!
Semaj. Quàm ſtrenuè vos fingere edocuit Herus!
Gamal. Vir nobilis non erubeſcat fraudibus
Omnem Iſraëlem ludere? *Joſeph.* Iſthæc parcius;
Admoneo. *Semaj.* Saltem pateris illudi tibi:
Galilæa fœx te traxit in partes ſuas,
Et faſcinavit impotem mentis ſuæ.

Gamal. Cadaver hominis improbi, quod publicæ
Latrones inter Prætor affixit cruci,
Deponere cruce, munus infame nimiùm
Carnificis occupare, non puduit virum
Tam nobilem? *Semaj.* Quin corpus infandum Magi,
Dignúmque corvis pabulum inferre proprio
Novóque tumulo, quis, nisi insanùm furens,
Auderet? *Joseph.* An Synagoga jussit dicere,
Quæ dicitis? *Semaj.* Nondum omnia tibi diximus,
Dicenda nomine Synagogæ. *Joseph.* Dicite
Ergo omnia: avidus audiam. *Semaj.* Quo fascino
Abreptus iterum clanculum subducere
Tumulo cadaver per tuos servos paras?
Ut nempe fœx Galilæa, cui demens faves,
Spargere per urbem possit id, quod improbus
Ille populi seductor est ausus palam
Jactare, se, si morte tollatur, die
Resuscitandum tertia, & vivum suis
Reddendum? an hæc fraus nobili digna est viro?

Joseph.

Joseph. Responsione dicta non dignor tua,
Blasphema nimiùm : cernet, & cernet brevì
Synagoga, quem pudere factorum hactenus
Coram orbe toto debeat. *Gamal.* Recedimus.
Semaj. Vos milites, servate tumulum sedulò;
Fidelitatis præmium largum dabit
Synagoga. *Gamal.* Luce crastina redibimus,
Et tunc apertus tumulus ostendet palam,
Quàm sit resuscitatus ad vitam tuus
Ille optimus Magister. *Semaj.* Interea vale,
Speráque tantùm firmiter. *Joseph.* Firmissimè
Confido. *Gamal.* Quis fragor subitus? - *Semaj.* Heu! sub pede
Tellus tremiscit mota!

SCENA ULTIMA.

Personis Prioribus accedit Benjamin, Decurio, Milites, reliqui.

Benjam. - - Heu! Pater - juva!
Decurio. Ad arma, miles, ad arma!
Joseph. An hostis imminet?

Vel quis? vel unde? *Decur.*. Nescio ipsus; sed virum
Vidi coruscum fulminis ad instar prope
Tumulum. *Mil. I.* Ubi sum? - Socii! Gradivus an fuit,
An Jupiter, qui huc irruens tanto impete
Nos obruit, stravitque? *Mil. II.* Quiscunque fuerit.
Aliquis Deorum fuerit. *Gamal.* Et quid hoc? patet
Tumulus; lapis revolutus! *Decur.* Humana manu
Vis major hæc patravit. *Mil. II.* Ut dixi, fuit
Vel Jupiter, vel Marspiter. *Joseph.* Major Jove,
Et Marte, qui revolvit hunc lapidem, fuit.
Quis fuerit, an dubitatis? inspice tumulum,
Pharisæe! *Semaf.* Prô! cadaver ablatum quoque!
Ita vigilâstis improbi? Juro, dabitis
Pœnas graves socordiæ tantæ. *Decurio.* Minas
Audebis intentare militi meo
Semesa ructans allia Hæbræus Popa?
Mil. I. Socordiæ nos arguis? *Joseph.* Frustra paras

Mira-

Miraculum negare. Convincit oculus.
Virtute propria rediït ad vitam Dei,
Quem vos negâstis, filius: talem modò
Synagoga; quamvis frendeat, debet tamen
Tandem fateri. *Decurio.* Milites, mecum ocyus:
Renuntiamus Præsidi hæc mira, & nova,
Resuscitatum mortuum. * *Semaj.* Pectus crepat
Nimio pudore! *Joseph.* Rumpere dolore potiùs,
Et pœnitens agnosce. *Semaj.* Synagoga quid ad hæc? *
Gamal. Josephe, dicta deprecor: video, fuit
Verus Propheta, tertia, ut dixit, die
Resuscitatus * *Joseph.* Filius Dei fuit,
Et non modò Propheta, qui sic de hostibus
Suis triumphat mortuus. *Furax.* Per hunc tuam
Clementiam obtestamur. *Clepax.* His vinclis jube
Solvamur. *Joseph.* Equidem vincla meruistis bene;
Sed gratiam negare non possum die
Tam gloriosa. *Benjam.* Solvo, si jubes, Pater,

** Abeunt milites*

** Proripit se Semajas iratus.*

** Abit Gamaliel contritus.*

Jam pœnitentes. *Joseph.* Solve, ne planctu insonet
Ullo beatus hortus, & felix nimis,
Nimísque gloriosus hic locus: plagis
Ab ultimis huc confluet totus Oriens,
Et Occidens, & sera Posteritas, sacrum
Visura tumulum, mors ubi victa occidit,
Et unde vita mundo surrexit nova.

O. A. M. D. G.



SPI-

SPIRITUS SINE SPIRITU.

DECLAMATIO

IN FESTO PENTECOSTES.



Argumentum dabit Scena.

PERSONÆ.

Patroclus, *Studiosus, sacræ Religionis Candidatus.*

Bromjus, } *Patrocli Condi-*
Potander, } *scipuli.*

Daniſtrus.

Dromulus, *Puer Cellarius.*

SCE-



SCENA PRIMA.

Bromjus. Potander.

Potand. AN fallor? an jam jam ultimum signum dedit
Campana? Declamatio incipiet brevì.
Brom. Incipiat: haud præsentiâ nostrâ est opus.
Persona nulla, (sint Deo laudes) mihi
Est sustinenda. *Potand.* Nec mihi; Decet tamen
Nos interesse. *Brom.* An læta, & apta risibus
Scena exhibetur. *Potand.* Nescio: ùt credo tamen,
Nihil jocorum spargitur. Titulum audii,
Fixum Theatrô: SPIRITUS SINE SPIRITU.
Brom. Non capio titulum: SPIRITUS SINE SPIRITU?
Potand. Fors de probando Spiritu, & Statûs bona
Electione agetur. *Brom.* Hæc nempe omnibus
Annis redit materia, trita centies,
Et centies audita. *Potand.* Sed quis huc gradum?

Brom.

Brom. Condiſcipulus eſt, nempe noſter Patroclus.

SCENA SECUNDA.

Perſonis prioribus accedit Patroclus.

Patr. Salvere amicos jubeo; ſed ſimul ultimùm
Valere. *Brom.* Cur valere? *Patr.* Sacrum jam Ordinem
Ingredior, atque hinc dico Gymnaſio vale.
Potand. Verúmne? *Brom.* Ludis Patrocle? *Patr.* Gladio, ùt vides,
Incedo cinctus: floridum ſertum gero.
Brom. Nempe in theatro, neſcio cujus, tibi
Perſona ſuſtinenda? *Potand.* Properemus igitur,
Ne ſerus adſis, *Patr.* Vos abite, quos decet
Leges vereri Gymnadum: his vinclis ego
Jam liber aurâ, dum licet, lætâ fruar.
Brom. Agíſne ſeriò? *Patr.* Utique. *Potand.* Sacrum ergo Ordinem
Adibis? *Patr.* Et quis dubitet? *Brom.* Ante terminum
Anni Scholaſtici? *Patr.* Quid ad me terminus
Scholaſtici anni? diximus; adhuc hac die
Ex-

Exſpecto, qui me revehat ad patrios
lares.
Vacationem jam inchoo, poſt quattuor
Vel quinque menſes clauſtra ſubiturus; niſi
Fors interim pœniteat. *Potand.* Ergo gratulor.
Brom. Sed antequam nos ſeparet abitus tuus,
Dicemus invicem ultimum, haud ſiccum vale:
Hoc moris eſt, ſi filius mundo exeat,
Solent parentes flere, potare ſocii.
Patrocl. Id ſi audeatis, ecce caupona eſt prope.
Brom. Intremus igitur. *Potand.* Non licet, nôſtis utique,
Cauponam adire. *Brom.* Vah nimìs te ſimplicem!
In hiſce circumſtantiis, in gratiam
Sponſi novi, atque in nuptiis quaſi ſacris,
Quis hoc vetare poterit? *Patr.* Hac demum die
Tam timidus eſt potandèr? aliàs, ſat ſcio - - -
Pot. In Candidati gratiam, metum exuo.
Patr. Ego neminem jam timeo, dum ſacri Ordinis
Sum Candidatus.

SCENA

SCENA TERTIA.

Patroclus. Bromjus. Potander. Dromulus.

Patr. - - Dromule, merendam para :
Vel, ut paretur, hoſpitam promptus mone,
Drom. A prandio vix ſurgitis ; vultis iterum
Cœnare? *Pot.* Fac, quod juſſimus: mone hoſpitam.
Abit Dromulus. *Drom.* Placeat ſedere. * *Brom.* Cœna præ ſcena mihi
Certò placebit. *Pot.* Interim dic, Patrocle,
Unde ardor ille ſubitus? unde clauſtri amor?
Patr. Mutatio hæc eſt dexteræ Excelſi. Meæ
Vocationis, ſi placet, pando ſeriem:
Hac in popina nuper unà cum meis
Sociis bibebam, jàmque ſolito lætior
Totus rubebam; cùm afferuntur litteræ,
Meo à Parente nomini inſcriptæ meo.
Brom. Quid nuntiabant? *Patr.* Nempe, ſi forſan animum
Adjecerim ad ſtatum Religioſum, mihi
Patere clauſtrum celebre, quod, modò velim,

In-

Intrare possim. *Potand.* Quale responsum Patri?

Patr. Rescribo statim ex tempore, placere omnia

Omnino, méque fore Religiosum indico;
Largas modò pecunias mittat Parens,
Equósque, queis in patriam celer avolem.
Exspecto nunc utrumque, & hac adhuc die.

Pot. Mirabilis vocatio! *Brom.* At nunquid priùs
Deliberâras? *Patr.* Ne quidem per somnium.

Pot. Et quomodo vocatur claustrum sacrum,
Quod jam subibis? *Patrocl.* Nescio. *Brom.* Et qualis sacer
Hic Ordo, quem sequêris? *Patr.* Etiam nescio
Non nominavit Ordinem, aut claustrum Parens;
Ut credo tamen, in Styria est situm, quia
Ibi aliquis Abbas, proximè agnatus Patri est.

Potand. Distabit ergo Patria, à nostra procul?

Patrocl. Quid inde? *Brom.* Si fors hæc regio genio tuo
Non conveniret, quid tum ages? *Patr.* Quid tunc agam?

In patriam redibo: nec primus sum ego,
Nec ultimus ero in patriam è claustro
redux.
Brom. Hoc est quidem verissimum. *Patr.*
Saltem hôc modô
Lustrare dabitur exteras orbis plagas,
Urbésque varias, id quod avidus jam diu
Optaveram. *Potand.* Et quod me quo-
que ad claustrum sacrum
Allicere posset maximè, hôc modô
Liber eris à Gymnasio, & à tot oneribus,
Quæ litteratos opprimunt. *Patr.* Vera
fateor,
Et hoc movebat plurimùm mentem
meam,
Ut promptus adeò litteris mei Patris
Assenserim. *Brom.* Prudentèr omninò,
& piè..

SCENA QUARTA.

Patroclus. Bromjus. Potander.
Danistrus.

Dan. Domini Studentes, si placet pre-
tio levi
Emere elegantes icones, statuas pias,
Compaginatas affabrè, & pictas cruces,
Sanctúmque Spiritum: Omnia pretio levi.
Brom. Non indigemus crucibus, harum
copiam

Mihi

Mihi ſcholæ offerunt quotidie. *Daniſt.* Spiritu
Sancto tamen nónne indigent Scholaſtici?
En! arte mira, víque pollentem nova
Vobis emendum hìc offero * hunc ad pulpitum
Suſpendite, & ſi ſedulò hærebitis ibi
Noctu, diúque, ſpondeo, miram brevì
Vim ſentietis inditam merci meæ.
Potand. Nugas ineptas has apage, nihil emimus.
Patr. Dic tamen, amice, nónne venis ex Styria?
Dan. Sæpe peragravi Styriam cum his mercibus.
Patr. Dic ergo, quodnam celebre clauſtrum in Styria?
Dan. Sunt plurima, & celeberrima. *Patr.* Et quid maximè
Celebria illa reddit? *Dan.* Inprimis, quia
Floret ibi diſciplina, doctrina, pietas,
Omníſque virtus. *Patr.* Iſta non curo: peto,
Num ſplendida ædificia? num ſitus loci
Amœnus? an jucunda regio eſt ſtyria?
Dan. Dubitare poteris? Regio jucundiſſima,
Sylvis, agris, campíſque plena eſt Styria
Patr. Stimulos mihi novos addis, & ſemper magis

Magísque mea Vocatio probatur mihi:
Lubens videbo tam inclytas terras. *Brom.* Meum
Afflare pariter ſpiritus animum incipit,
Si, Patrocle, tibi accederem ad clauſtrum comes,
Putásne, non admitterer? *Pat.* Dubito nihil.
Baniſt. Ego vehementer dubito. Juvenes plurimi,
Iíque valde ſtrenui, & docti, & pii
In Styria ſunt, qui diu ardentiſſimè
Jam ſacra clauſtra, & Ordinem ſacrum ambiunt.
Brom. Tales negas nós eſſe? *Dan.* Dubitare liceat.
Brom. Potander, quid ſi poſceremus ſuſcipi,
Simúlque pergeremus omnes tres ſacra
Ad clauſtra? ſaltem titulus hic honeſtus foret
Teſtimonia petendi. Erimus ita liberi,
Et abſoluti Rhetores. *Potand.* Dicis aliquid.
Brom. Nunc ergo, ſi condicis, & velis ſequi
Ad clauſtra Patroclum, ſequar & ego. *Pot.* Unicus
Me ſcrupulus angit, audio vini nihil
In Styria ſuccreſcere, *Dan.* Eſt falſiſſimum.
Omni-

Omnibus abundat Styria, & vinô quoque,
Ex Auſtria, ex Hungaria, ex Bohemia;
Imò quoque Tyrolenſe plenis curribus
Invehitur illuc, & quidem pretio levi.
Potand. Satìs eſt. Vocantem Spiritum
promptus ſequor.
Condico, ſocii: eamus omnes tres ſimul
Ad clauſtra, vel recipere ſi nos non volent,
In patriam redimus omnes tres ſimul.
Dan. Vobis precor iter proſperum. Nihil emitis?
Brom. Quin patriæ, mundóque dicturi Vale,
Quæ poſſidemus vendere volumus, & dare
Pauperibus. *Potand.* Anne hoc pallium placet emere?
Nam pallium non ampliùs humeros premet.
Dan. Sum pauper: ergo pauperi gratìs date;
Nam veſtra pauperibus dare utique ſtatuitis?
Potand. Statuimus, at non jam modò.
Brom. Cùm ſtabimus
Ad ſacra clauſtri limina, ibi quiquid ſuper
Nobis erit, pauperibus erogabimus.
Dan. Hoc tempus exſpectare non vacat mihi. Valete.

SCENA QUINTA.

Patroclus. Bromjus. Potander.

Patrocl. - Jam complector in Christo novos
Fratres futuros. *Brom.* Jungimus amicas manus.
Et mutuam spondemus, atque arctissimam
Conjunctionem. *Potand.* Semper in claustro sacro
Sententiam tuebimur eandem, simul
Semper erimus. *Patr.* Si forsan in claustro novus
Abbas sit eligendus, ex nobis tribus
Ut eligatur unus, efficere impigrè
Studebimus. *Brom.* Ego, Patrocle, tibi jam meum
Addico votum. *Potand.* Spondeo etiam ego meum.

SCENA SEXTA

Patroclus. Bromjus. Potander. Dromulus.

Patr. Ubi moraris, Dromule? triplicem modò
Pro Candidato triplici cœnam instruas.

Pot.

Pot. Et potus ubi? fac, afferas vinum citò.
Drom. Et quale? *Pot.* Quæris? Optimum. *Patr.* Burgundicum,
Si cella vestra contineat, affer citus.
Drom. Satísne fartus loculus est vobis? merum
Burgundicum non venditur pretio levi,
Brom. Si non sumus solvendo, lubentes brevì
Solvent parentes. *Potand.* Pallia interim tibi
Oppignoramus. *Brom.* Abnuis? *Drom.* Moneo hospitam.
Potand. Festinus ergo curre. *Drom* Tempus interim
Libro hoc potestis fallere. *Patr.* Et quis hic liber?
Drom. Quidam Studentûm pignus hoc nuper dedit,
Dum solverit, quod debet. *Pot.* Age, potum -

SCENA SEPTIMA.

Patroclus. Bromjus. Potander.

Patr. * - - *Modus Deliberandi, sive, de vitæ statu Ritè eligendo.* *Brom.* Quæso, quid libris opus? *Legit titulum libri.

Nos absque libris, & ſine tot ambagibus
Vitæ ſtatum delegimus. *Pot.* Parens meus
Mirabitur, nec credere ſorores volent,
Tam ſancta deſideria tam ſubitò meam
Subiîſſe mentem. *Patr.* ſcilicet ſpiritus, ubi
Vult, ſpirat. *Brom.* Hoc experior hac ego die.

SCENA OCTAVA.

Perſonæ, quæ priùs, accedit nuntius.

Nunt. Quàm in tempore hic te invenio, Domine Patrocle!
Tibi ſalutem plurimam Dominus Parens,
Et Domina Mater pariter, & Sororcula.
Patrocl. Aſt ubi pecuniæ? novæ veſtes? equi?
Nunt. Intelliges ex litteris, ad quas dare
Reſponſa ſi volueris, ad te craſtina
Die revertar, interim lætus vale. *

* *Abit Nuntius.*

Patroclus legit: Dilecte fili! lætus audivi tuum Religionis ineundæ propoſitum; modò non præcipiti animo, ſed maturo conſilio ſit conceptum: ad ſacrum monaſterium, de quo nuper tibi, quoniam id animo arridere ſignificas, ipſus te proxima

Va-

Vacatione deducam. Interim nolim tamen, quidquam de fervore ſtudiorum remittas, neque ante terminum litterarii anni è Gymnaſio diſcedas: da potiùs operam, ut ex ſcriptionibus, & examinibus conſuetis, ſi non præmium, ſaltem publicam laudem promerearis. Tum Experieris, quòd toto animo ſim Pater tuus.

Quid? usque ad anni terminum in ſchola hæream?
Clauſtrum ſubeam vacationum tempore?*
Valeat Religio, nulla ſi afferat commoda.
Brom. Subſiſte, Patrocle. Dromulus redit. Brevì
Erit parata cœna. *Pot.* Vel ſaltem merum -

**Lacerat litteras, & plenus indignatione abit Patroclus.*


SCENA ULTIMA.

Bromius. Potander. Dromulus.

Drom. Heu! fuge, Potander, fuge! venit Parens tuus,
Nervúmque dextra bubulum irata vibrat.
Pot. Cur plenus iræ? *Brom.* Filióne iraſcitur,

Quòd Candidatus sit Religionis sacræ?
Drom. Quòd ad popinam accesserit, parens furit.
Potander ad Brom. Amice, cœnam solus absummas: mihi
Abit. Domî paratur offa, quâ fiam satur. *
Brom. Quin differamus, donec ad claustrum melior
Nos Spiritus fortè vocet. Hodiernus etenim
Ut video, fuerat SPIRITUS SINE SPIRITU.


O. A. M. D. G.



CÆ-

CÆDES ABELIS.

EXERCITIUM RHETORICUM.



Argumentum omnibus ex S. Scriptura patet.

PERSONÆ.

Adam.
Abel.
Cain.
Angelus Tutelaris Abeli, } sub habitu
Angelus Tutelaris Caini, } Paſtorum.
Lucifer, } ſub habitu agri-
Leviathan, } colarum.

ACTUS



ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

Adamus. Cainus.

Scena exhibet vicinum nemori agrum, quem colit Adamus, & ex latere Cainus.

Adam. Sudore totus diffluo: laborem manus
Fessæ recusant: labitur fractum genu,
Siccásque fauces impotens urit sitis.
Caine! lympham quære languenti Patri.
Caine! non exaudior. Lympham Patri
Caine. *Cain.* Nimiùm distat hinc, quam flagitas
Ex fonte lympham: quærere haud vacat mihi.
Adam. O crude nimiùm! siccíne Parentem colis?
Cain. * Sylvestre pomum, quod vides coram, cape.
Siti levandæ sufficit. *Adam.* Pomum apage sis.
Vel nomen horreo frugis infaustæ nimis.
Nempe omne nostrum fluxit à malo malum.

* *Sylvestre pomum ex arbore decerptum ad Adami pedes projicit, & abit Cainus.*

SCENA

SCENA SECUNDA.

Adamus solus.

Fatale pomum! quod in generis humani perniciem infelix arbor progenuit, infelicior dextra decerpsit, infelicissimi dentes admorderunt! Tu, tu meo vixdum gutturi immissum & me, & meam progeniem suffocâsti. Quamquam, quid insanus ago? quid temeritatis meæ culpam in insontem fructum rejicio? ego ipse, fateri pudet, fatendum tamen est, ego ipse tanti mali sum author unicus. Ego vos, parcite, seri posteri! ego vos solus perdidi! ego gulosus helluo, paratam vobis regni cœlestis hæreditatem uno prandio abligurivi. Ego nefarius meorum proditor erepta libertate in servitutem vos vendidi. Ego humani generis parricida potiùs, quàm parens vos, antequam genui, peremi. Miserum me, si hæc intelligo; si non intelligo, insanum!

SCENA TERTIA.

Adamus. Abelus, agnellum ornatum secum ducens, & in corbula aliquot arborum fructus.

Abel. Quid corde mœsto chare suspiras Pater?

Adam.

Adam. Ah nate! gaudium unicum, si quod tamen
Hoc est in orbe gaudium! sortem meam,
Tuámque ferus defleo. At quid hìc paras?

Abel. Agnellum niveo matris ab ubere
Raptum, Lanigeri primitias gregis.
Et primum viridi munus ab arbore
Magno, qui dederat, dedico Numini.
Aram, si placeat, construimus, Pater,
In qua det meritas dextera victimas,
Et rerum Domino præstet homagium.

Adam. Placet Parenti plurimùm pietas tua.
Placebit eadem, sic precor, tandem Polo;
Irámque flectet vindicem, & Patris scelus
Virtus piabit Filii. Age priùs tamen,
Lympham Parenti proximo è puteo pete,
Fessúmque recrea: pariter & fratrem mone,
Ut & ipse tecum victimas ferat polo.
Ego interim aras exstruo. *Abel.* Ut jubes, Pater.

Adam. Utinam Cainus aliquid ex hac indole
Hausisset! At quàm moribus dispar tibi est!

SCENA

SCENA QUARTA.

Lucifer. Leviathan.

Lucifer. - - Nósne incœpto desistere victos?
Nec posse invisam penitus deperdere stirpem?
Si potuit serpens astu prosternere Patrem,
Humaníque caput generis, quem prima tegebat
Gratia, & æthereæ compar sapientia menti,
Cedamus puero? Abelus num major Adamo est?
Ille tamen (stygii prô vana potentia sceptri!)
Ille tamen nulla vi, nec fraude movendus
Cernitur, & totum terret puer unus avernum,
Dum flectit virtute Polum. Jam suscitat aras,
Jam pia Sacra parat, totúmque indulget ovile
Numinis obsequio, criménque & facta Parentis
Ipse fide meliore suo pro Patre piabit,
Et facilè ad veniam, nî cesset, flectet Olympum
Tam non parca manus, tam fidum pectus, & omni
Labe

Labe carens animus, nisi quam de sanguine traxit.

Leviathan. Imò, siqua fides infido adhibenda Parenti,
Jam veniam pronum (res injustissima!) Numen
Annuit humano generi: de sanguine Adami
Exurgat, qui facta Patris reparabit, & axem
Hactenus occlusum reserans, implebit Olympum
Progenie, & summa mortales sede locabit.
Quô nos excidimus, jam stabit homuncio cœlô.

Lucifer. Non stabit. Sic juro lacum Phlegetontis, & imas
Tartarei stagni ripas, non stabit in axe
Vilis homo. Nec terra quidem indulgenda maligno
Est generi. Miscere novâ juvat omnia fraude.
Exitiale paro facinus, quod conscia rerum
Astra, quod ignorat spectabilis æthere Phœbus,
Spectabunt hodie cœli, spectabit avernus,
Natura trepidante, nefas. Ad vota Cainus
Serviet, invidiâ, stimulísque atrocibûs ardens.

Invidiâ primus Paradysi è sede beata
Est expulsus homo, sterilémque ejectus in orbem;
Invidiâ pariter toto pelletur ab orbe,
Non nisi tartareis sedem inventurus in oris.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

Adamus. Abelus.

Adam. Jámne redis, fili? sed ubi modò lympha cupita?

Abel. Ah Pater! horresco referens fatalia fontis
Portenta, & tristi deprênsum flumine monstrum.
Nempe ubi vix gelidis immersi fontibus urnam,
Laturus patrio solamina prompta palato,
Eloquar? an sileam? nigrô spumescere tabô
Incepit puteus, tellus concussa boatu
Mugiît horrendo, protractáque fontibus unda
Non nisi sanguis erat. Stupefacto frigidus horror

Ossa quatit, stimulátque fugam, prohibétque fugacem
Commovisse pedem. Tandem terrore remisso,
Dum rigidæ sedêre comæ, mandata Parentis
Perficio, & puteum repetens, haurire recentes
Aggredior lymphas, iterum, non mentior, unda
Non nisi sanguis erat. Ter lotam fontibus urnam
Immisi, ter fædatô spumantia tabô
Vasa manus tremefacta retraxit, & hausta ter unda
Non nisi sanguis erat. Quid de his, Pater optime, censes?
Adam. Ignarum dubia quatitur formidine pectus,
Nec satis infaustæ novit præsagia lymphæ.
Avertant prona astra malum, vel siqua minatur
Sors infausta, meum feriant, precor, aspera solum
Fata caput, parcántque tuo! properare decebit
Sacra, piísque polum minitantem flectere votis.
Ast ubi Cainus?

SCENA SECUNDA.

Adamus. Abelus. Cainus.

Cain. - - Quid Cainô nunc opus?
Abel tuus non ſufficit ſolus tibi?
Hic ſolus omne gaudium, hic Matris decus
Vocatur unus, ſolus hic charus Patri.
Hic virides inter ſylvas, & paſcua læta
Molli quieſcit otio,
Carmina molle canens.
Unicus hic puero labor eſt, incumbere pratis,
Diémque totam ſtertere
Inter amœna gregum.
Cùm de nocte domum reduces ad ovile capellas,
Fœtúſque balantûm pigros
Pigrior ipſus agit,
Mille ſalutatur votis, gremióque paterno,
Matríſque collo pendulus
Baſia mille capit.
Interim ego duris jubeor proſcindere raſtris
Ingrata terræ viſcera
Nocte, diéque vigil.
Et tamen ùt multis feſſos ſudoribus artus,
Et fracta ſerus defero
Membra labore domum,

Vix

Vix oculo dignata Parens ingrata Cainum,
Nec blandior nobis Pater
Non nisi probra jacit.
Nec satis hoc. Etiam cœlum me odisse
videtur,
Fratrísque semper munera
Præposuisse meis.
Sola hæc grata Polo. Solus ferat ergo
cupitas
Abelus astris victimas,
Obsequiúmque Patri.

Adamus. Quousque tandem patientiâ nostrâ abuteris, Caine? Quousque hæc morum asperitas Patri insultabit? Quousque te indigna in fratrem exagitabit invidia? Nihil ergo te timor Numinis, nihil naturæ leges, nihil fratris exempla, nihil repetita toties Parentum monita moverunt? In Patrem crudus, in fratrem invidus, in DEUM ingratus vivis. Et vivis non ad deponendam, sed confirmandam ferociam. Hæc ego Pater video, & sileo? Et quem verberibus mactare oportebat, necdum vel voce vulnero? Cuperem esse benignus, cuperem verè Pater meos erga filios haberi, sed jam me ipsum inertiæ, nequitiæque condemno. Nimium paternæ datum est indulgentiæ, unius hominis improbitatem fratri, parentibus, cœlo ipsi insul-

tare diutiùs non ſinam, non feram, non patiar. Id modò, & ultimùm tibi denuntio: aut, quæ imperavi, Sacra cœlo placando facies, aut Patris conſpectum perpetuò evitabis.

Cain. Quid exprobranti voce, quid minis opus?

Dabo petitam victimam hac adhuc die. * *Abit Cainus.*

Adam. Sic ſuaſerim. Ipſus interim fontem peto.

Divino jam portenta feralia nimis
Lymphæ cruentæ. *Abel.* Quid igitur credis, Pater?

Adam. Tandem Caino, ſcelere laſſatus, Polus
Pœnas minatur improbo, ſed quæ ſimul
Utrique noſtrûm vulnus infligent grave:
Heu! Nate, vereor! forſan hac adhuc die
Tu fratris, & ego filii videbimus
Sparſum cruorem: nempe jam vindex Deus
Dentes leonis, vel ferocis tygridis
Armavit ungues improbi in fratris caput.
Hoc lympha vult cruenta. * *Abel.* Meliora Superi!

SCE-

SCENA QUARTA.

Abelus ſolus.

Vivet Cainus, vivet, & aſperam
Provectus annîs exuet indolem.
Qui nunc acerbus, fiet olim
Dulce domûs patriæ levamen.
Jam colla Patri flectere promptior
Cœlóque, pronus deſtinat hoſtiam,
Non mente parca, dexteráque
Numinis obſequio litandam.
Vel ſi quid undæ ſanguineus rubor
Portendit iræ, parcite Sidera!
Vivat Cainus! ſolus Abel
Fata ſuo ſatiet cruore.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

Angelus Tutel. Abelis. Angelus Tutel. Caini, ſub habitu Paſtorum.

Ang. Abel. Promptus relinquo Sidera, & terras peto
Clientis in diſcrimine.
Aras, piásque victimas cœlo parat
Abelis innocentia.

 Sed

Sed heu! ſceleſtâ fratris in fratrem manu
Futurus ipſe victima.

Ang. Cain. Cainus auſit talia! hoc cliens meus
Seſe implicabit crimine?
Sic noſtra ſequitur monita, ſic ſpernit preces,
Minâſque ridet improbus?

Ang. Abel. Invidia nempe cœca cùm fiat, etiam,
Quos occupat, cœcos facit.

Ang. Cain. Necdum tamen deſpero, tentabo ultimum
In cor ferocis impetum.

SCENA SECUNDA.

Duo Angeli. Cainus.

Angelus Cain. Quò, quò properas, Caine? Numini victimam offeres? & quam illam? & qua mente? quæ invidiâ ardet. Qua voce? qua Patrem inſectaris. Qua manu? quam in fratris cædem armâſti. Quid mutus hæres? quid expalleſcis? quid trepidas? quid oculos avertis? patere tua conſilia tandem ſentis? quid in proxima valle egeris, quæ arma paraveris, neutiquam nos latere advertis? O nimiam cœli indulgentiam! hæc

hæc nos innocentiæ custodes intelligimus, hæc scelerum vindex DEUS videt, & impius hic adhuc vivit? Vivit! imò etiam ad tremenda Sacra accedit, & inter ipsas aras locum fraternæ cædi designat! *Angel. Abel.* Quid verò est, per DEUM Immortalem! quid est, quod tuum adeò irritavit animum? quis tam funestas invidiæ faces in tuo pectore accendit? quis tantum fratris in fratrem odium suscitavit? an graviore forsan injuria Cainum Abelus lacessivit? at has toties à te sibi illatas summa mansuetudine tolerat. An tua fortè scelera ad parentem importunus accusator detulit? at hæc, quo potest, modo excusarè nititur ingeniosa Abelis charitas. An fortè arrogantiore supercilio natu majorem minor despexit? At nullo non obsequiorum genere te prævenire fratris humanitas, tuámque mitigare ferociam studet. An minùs fortè, quàm velles fraternum in te animum explicat? At nôsses utinam! aut nôsse velles, quàm sincero amore Cainum Abelus prosequatur; quod quidem ut coram deprehendas, efficiam illico, si brevem hanc moram pati possit, quæ te exagitat, impotens invidia.

SCENA TERTIA.

Angelus Tutel. Caini. Cainus.

Angelus. Loquere tandem, Caine, loquere, cliens infelicissime! clientem voco, quamquam hoc nomine indignum. Loquere, inquam, & animi vulnus pande. Sic enim tecum agemus, ut non odiô, quod mereris, sed misericordiâ, quam quidem non debemus, commoti videamur. Tuâ enim causâ, si nescis, relictâ cœli regiâ, in terras descendimus, tuo bono spectabilem hanc formam induimus; te, si quo modo possumus, à cogitato scelere, & imminente exitio retrahere laboramus. *Cain.* An ergo æquô animô feram, natu minorem perpetuis à Patre laudibus, me opprobriis mactari? Illum Matri, & Cœlo in deliciis, me contemptui & odio esse? *Angel.* Te ipsum nunc consulo, Caine, ad tuam appello sententiam. Edic, si plures tibi filios natura dedisset, quem ex illis majori amore prosequereris? illúmne, qui morum asperitate intractabilis, ad paterna monita contumax tibi impudenter insultare non vereretur? an verò eum, qui morum humanitate eximius, ad omnem Parentis nutum intentus, summam venerationem pariter, &

amo-

amorem tibi perpetuò teſtaretur? an non humaniſſimum crudiſſimo, obſequioſum contumaci, innocentem impio præferendum judicares? Quid ergo Parentes accuſas, quòd eo in filios ſuos ſint animo, quo eſſes in tuos? aut quid Abelum reprehendis, quòd talis ſit, qualem tu tibi filium exoptares? muta, mihi crede, muta hanc mentem, & acerbos, qui animum lancinant, invidiæ ſtimulos tandem excute. Probati omnibus fratris mores non ad invidiam te provocent, ſed ad imitationem. Sic Parentibus ſolatium, cœlo gaudium, tibi ipſi laudem, & felicitatem paries immortalem. *Cain.* An cogitati quoque facinoris veniam ſperare potero? *Angel.* Hanc tibi certam ſpondeo, ſi conceptum mente parricidium ſeriò deteſteris. In gratiam tecum facilè redibit Numen, ſi tu cum fratre, qui tuos jam ultro amplexus petit.

SCENA TERTIA.

Abelus. Cainus.

Abel. Dilecte frater, ſi placet Sacrificio accingimur; ſed quoniam, ùt Tutelari Angelô Magiſtrô didici, nemo gratum præpotenti Numini holocauſtum litare poterit, qui ullam adverſùs fratrem vel

vel invidiæ, vel iracundiæ partem in animo residere patitur, supplex fraternis genibus advolvor, & si quam imprudens tibi injuriam intuli, demisso animo deprecor, téque per communem nobis sanguinem, per Patris, Matrísque nomen dulcissimum, pérque hanc tuam jam Sacrificio accinctam dexteram obtestor, frater fratri ignoscas.

Cain. Vincis, mi Abele, vincis. Omnem jam exuo,
Quem, fateor, in te mente non sana indui
Dudum furorem. Pergimus ad aras, manu
Et corde juncti victimas damus Deo.
Abel. Litamus: * En! jam victima agnus hìc jacet,
Meâ immolatus dexterâ. Ast ubi tua?
Quámve immolabis hostiam? *Cain.* E terræ satis
Collecta dabimus munera; haud opus Polo
Cruore pecudum. * *Abel.* Parcus es, frater, nimis,
Quàm pauca reddis Numini! *Cain.* Gregi tuo
Plus quàm Caini favit injustus Polus,
Hinc plura non meretur. Hæc pro me satis.

* *Aperta scena apparent aræ geminæ, uni earum jacet impositus agnellus.*

* *Cainus in corbula affert paucas*

Abel.

Abel. Ah! parce, frater, talibus dictis Deum
Lacessere ultra! *Cain.* Parce tu potiùs meum
Lacessere ultra pectus, age, flammam pete,
Qua concrementur munera. *Abel.* Hic dabit silex. *
Cain. Cede, mihi dextra fortior. Vota interim,
Precésque, frater, inchoa, at brevis sias. *
Abel.
Huc pium flectas, Deus alme, vultum,
Quo beas astra, & sceleris paterni
Immemor factus, pia filiorum
Suscipe vota!
Victimam cœlo damus, ora proni,
Quódque plus prono probat ore Numen,
Corda contriti ferimus doloris
Munera testes.
Innocens agnus calido cruore
Imbuens aras nocuos piabit
Sanguinis rivos, minitans furoris
Flamma residat. *
Audimur! ô prodigia! ô immensus favor!
delapsus Astris munera absummit focus,
Nec displicere victimam cœlo probat
Cœlestis ignis; illico monendus Pater,
Ut currat ad spectaculum lætum nimis. *

spicas, & arida quædam poma.

* Orante Abele Cainus tentat è silice ignem excutere.

* Ex alto delabitur flamma in victimam Abelis, eámque absummit.

* *Abit Abel, manente Caino.*

ACTUS

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

Lucifer. Leviathan. * *Cainus.*

* *In habitu venatorum.*

Lucif. ad Leviath. Non, non. Timere desine hanc flammam, licèt
Teſtem favoris cœlici, efficiam brevì,
Fatalis, ut ſit. Ignis iſte ignes novos,
Novásque mox fu[illegible]s accendet faces.

Ad Cainum. Quid hìc hæres, Caine? quid aſtra ſuſpicis? Quid aram circumſpectas? demiſſas pariter à cœlo flammas operiris infelix? Tua munera contemni non vides? omnem tibi à Deo veniam denegari non ſentis? omnem gratiæ locum tibi interclusum non deprehendis? Age, aras exſtrue, fruges offerendas collige, vota concipe, quæ nempe venti per auras ferant, nunquam ad Dei aures penetratura. Hæ nempe ad Abelis tantùm voces pateſcunt, ad tuas obduratæ. Hic, hic Abelus ſolus occupare novit animum Numinis. Hic non Parentum modò, ſed & cœli, & Cœlitum favores tibi dudum præripuit.

Leviathan. Obliviſcere jam ejus, quam tibi natura fruſtra contulit, primogeniti præ-

prærogativam, & quamvis natu major minoris tamen te mancipium profitere. Amplectere fratris pedes, qui te proculcant, exoſculare dexteram, quæ hæreditario te Jure dejecit, Venerare ora, quæ te deſpiciunt. Aſueſce denique dominantem ferre, quem vel ſervum nuper dedignabaris; illius denique patrocinium ſupplex implora, cujus te Dominum natura conſtituit. Ita enim frater exoptat, ita Pater imperat, ita cœlum hodierno omine confirmat.

SCENA SECUNDA.

Cainus Solus.

Fratri ſubditus, Patri neglectus, cœli odium,
Orci ludibrium Cainus audiat, & ſileat?
Erumpe tandem, corde compreſſus furor!
Fratrem, Patrem, Deúmque tam infenſos mihi
Una rabies oppugnet. An ceſſas manus,
Heu lenta nimium! Victimam tandem dato,
Quam deſtinâras. Victimam cœlum petit;
Qualem meretur, offeram. Dabo hoſtiam,

Dignam Cainô. Sanguinem gratum dabo
Cœlo, Patríque. Nécque lugebit hodie
Solus Cainus. Facinus audebit manus,
Quo Mater expallescat, & Pater tremat,
Unde orcus exhorrescat, & cœlum fremat.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

Adamus. Abelus.

Adam. O te felicem, fili! cui manifestis adeo prodigiis cœlum favet. Lætius jam â cœlesti flamma, quàm terrestri è lympha augurium capio. Omnes tristitiæ nebulas, queîs cruentos vapores exhalans puteus animum obduxerat, prodigiosus ignis absumpsit, novámque spem in torpescentis parentis pectore accendit. Tu nempe, ô Nate! tu dubio procul illa es promissa mihi à cœlo progenies, quæ Patris delictum expiabit, & patriæ cœlestis aditum, quem scelus meum occluserat, tua pietas reserabit.

Abel. Utinam Parentis compleat votum Deus!

Adam. Sed de Caini munere quid actum? an pari

Favo-

Favore fratris victimam aspexit polus?
Abel. Id nescio. Ast en! ipsus . . .

SCENA SECUNDA.

Adam. Abel. Cain.

Adam. An etiam tua
Cœlum respexit munera? an gratam Deo
Tuam fuisse victimam ignis cœlicus
Testatur? *Cain.* Error, fateor, hic meus fuit,
Nondum immolavi victimam parcus nimis:
Reparabo verò, quidquid omissum hactenus.
Aras repetimus, frater, hìc novam hostiam
Dabo cruoris prodigus, & agnum Deo,
Qualis placebit, propria lito manu.
Accede testis, frater, & votis meis
Tua junge vota. Capiet hæc, spero, polus.
Adam. Caine, quàm me reficis! sic tandem sapis,
Dum mente tandem supplici errorem tuum fateris ipse.
Abele, fratrem sequere. Conjuncta prece
Placate Numen filii demum pii,
Uterque tandem gaudium haud unum Patris.

Solamen istud pariter & Matri feram:
Mutâsse mores filium, & Abelo parem
Factum Cainum. *Abel.* Non modò Abelo parem,
Sed digniorem faciet hæc fratrem dies.
Ita precor ipse - - - *
* *Abit Adamus.*

SCENA TERTIA.

Cain. Abel.

Cain. - - Rumpito lentas moras.
Complenda sacra. *Abel.* Zelus hic quantùm placet!
Promptus petitis obsequor. Ast ubi Deo
Per te immolandus agnus? *Cain.* Haud abest procul.
Adduco victimam. * Interim præi preces.
Abel. Pro fratre lubens pectore ex imo preces
Et vota fundo. * Conditor rerum potens,
Qui tam benigno lumine meam victimam
Dignatus es respicere, jam fratris quoque
Admitte pronus munera, & flamma pari
Consumme fratris hostiam. Supplex tibi
Pro fratre frater accido. * Eheu mihi!
Quid frater agitas? *Cain.* Morere. *Abel.* Frater! ah! - - *Cain.* Bene est,
Habet, jacetque. Perge jam, puer insolens,

* *Secedit nonnihil Caïnus*
* *Abelus flectit.*
* *Erumpens Cainus grandi ar-*

Cœli,

Cœli, Patrisque præripe favores mihi. Curre, curre ad Parentis nutus obediens! stringe rigescentibus brachiis materna colla. Excipe labris frigidis negata mihi oscula. Concipiat preces emortua lingua, & prodigiosas è cœlo flammas evocet! blandiantur jam natantes in morte oculi, & Dei ac hominum favores mihi suffurentur. Insulta denique Caino, &, quod solebas, hoc quoque fratris crimen ad Parentem defer.

borlo ramo fratris caput petit repetitis ictibus.

SCENA QUARTA.

Gen. Tutel. Caini, & Tutelaris Abeli.

Gen. Abel. Vicisti, Caine, vicisti! quódque unum ad recuperandam animi tranquillitatem, ad extinguendas invidiæ faces, ad sedandos furoris impetus desiderari poterat, plus quàm heroica fortitudine tandem es consecutus; dum felicitatis tuæ obicem unicum, fratrem infensissimum, licèt fremente cœlo, trepidante mundo, plaudente tamen orco, feliciter sustulisti. *Gen. Caini.* Quid resistis? quid trepidas? quid fugæ locum circumspicis? quem times? an fratrem? at exanimis jacet. An Patrem? at facinus ignorat. An nos, an Deum? at hos du-

Priore habitu pastorum.

dum contemnere didicit audacia tua.
Gen. Abel. Siste ergo in pugnæ tam illustris area, victor magnanime! fruere, quam generosa tibi dextra peperit, felicitate, & jucundissimo interempti fratris spectaculo oculos & animum pasce.
Gen. Caini. Sed & aures arrige, & emortui Abelis altissimos clamores percipe. Clamat enim vox sanguinis fratris tui, & vindicem Dei manum inclamat, quam, toto licèt orbe profugus, nunquam tamen effugies.

SCENA QUINTA.

Cainus solus.

Abiêre tandem cœlici satellites?
At tristiores, video, tortores brevì
Submittet orcus. Tartari patent fores;
Tota furiarum erumpit huc in me cohors!
Quò fugio? dum conjurat in caput meum
Orcus, polus, tellúsque. Me quisquis hominum,
Vel cœlitum, vel dæmonum deprênderit,
Occidet! heu! -

SCENA

SCENA SEXTA.

Adam. Cain.

Adam. - Caine! num gratam hoſtiam
Litâſtis? - At quis pallor hic? quis hic tremor?
Et frater ubi? *Cain.* Nunquid ego cuſtos ſum mei
Fratris? **Adam.* Deus! -- Quid video? - peccati mei
Fructum tremendum video. Miſerandus Pater!
Miſerande Nate! Poſteri miſeri nimis!

* *Proripit ſe Cainus. Videt Adam cadaver Abelis, ſuper quod procumbit ſemianimis.*

O. A. M. D. G.



JOANNES
IN
VINCULIS.
EXERCITIUM
SCHOLASTICUM
IN
RHETORICA.

PERSONÆ.

Joannes Baptista.
Silonus, *Joannis Discipulus.*
Agrippa, *Herodis Aulicus.*
Florillus, } *Ephebi Herodiadis.*
Charillus, }
Tribunus militum.
Damœtas, *Pastor.*
2. Milites.
2. Satellites.

Scena ponitur in deserta prope Jordanem.

SCENA



SCENA PRIMA.

Joannes Baptista. Silonus.

Silon. An seriò ista loqueris, ô Pater optime?
Ergo hanc eremum deseres, & me simul?
Joan. Concepta dudum vota si cœlum impleat,
Si non inani luditur præsagio
Joannis animus, alia me sedes vocat;
Alia cathedra postulat vocem meam.
Silon. Ne sis propheta, cœlites faxint pii!
Vel si hinc abibis, pariter abeuntem sequar.
Joan. Silone, non sequêre: me solum furor,
Favórque, pietas, & scelus, styx, & polus,
Clementia, & crudelitas hinc avocant.
Silon. Clementia, & crudelitas? styx, & polus?
Furor, favórque te evocant? capio nihil:
Ænigma loqueris. *Joan.* Solvet hoc præsens dies,
Quæ me ligabit: Vincula exspecto cupidus.

Caver-

Caverna pulchrùm squallida, rupium
Torvo minantûm vertice nubibus
Amœnus horror, solitudo
Læta mihi nimiùm Valete!
Et Vos eremi tesqua silentia
Sat personâstis, per juga montium
Et vallium profunda latè
Zacharidis reboante voce.
Jordanis undæ sistite crimina
Lavare! largo flumine sanguinis
Lavandus Agnus pœnitenti
Præparat utilius lavacrum.
Nolite, spretis urbibûs, horrida
Deserta posthac Abramidæ rei
Subire. Vestras inter arces
Stat medius melior Propheta.
Oportet illum crescere. Nazareth
Beata plaude! *me minui decet.*
Audita tandem vota. Cœlum
Gaudia Zacharidis replevit
Optata dudum vincula! carcerum
Charæ tenebræ claudite prodigum
Vitæ, & cruoris; nec securis
Lenta caput trepidet ferire.

SCENA SECUNDA.

Joannes. Silon. Damœtas.

Damœt. Heu, heu! Fuge Pater, fuge! propinqui jam imminent

 Cum

Cum lanceis, gladiísque terribiles viri.
Num sit Latronum, númve prædonum
manus,
Ignoro. Quid si fortè lictores forent,
Latronibus magìs timendi? *Joan.* Ponite
Timorem, amici! nosco, me solum petit
Armata turba, vota complevit polus.
Silon. Herodiani fortè sunt satellites?
Joan. Occurro promptus. Nunquid hac
parte imminent,
Quos videras, satellites? *Damæt.* Annè
hostibus
Vis obviam ire? *Silon.* Potiùs, ô Pater,
fuge!
Damæt. Audi, propheta! neutiquam hac
parte veniunt,
Sed ex sinistra valle lictores. *Joan.* Sequar
Hanc ergo semitam. *Sil.* Ah Pater!
quid, quæso, agis?
Reflecte gressus, téque nobiscum tege
Hoc rupis antro. *

* *Discedit propheta Joannes.*

SCENA TERTIA.

Silonus. Damætas.

Damæt. Sinito, teneat hanc viam
Noster Propheta, sic manum effugit hostium.

Silon.

Silon. Imò propinquat hoſtibus; nam dixeras
Hac imminere. *Damæt.* Dixeram; nempe hoc pium
Mendacium erat ex tempore, atque in tempore,
Ut ſic Prophetam, neſcio quali, impetu
Abreptum ab hoſte averterem ſancto dolo.
Silon. Non crediđiſſem, aſtutiam tantam tuo
Latere capite. *Damæt.* Simplicem nempe hactenus
Me crediđiſtis. Et fui; ſed hac die
Incipio ſapere totus in veſte hac nova.
Silon. Quæ veſtis iſta? *Damæt.* Nónne jam videor tibi
Alter Propheta? *Silon.* Tu Propheta? *Damæt.* Non quidem
Honore tanto dignus. At ſaltem vides,
Non eſſe me ampliùs bubulcum. Jam greges
Omnes reliqui, & hiſpidum ſaccum indui.
In hac eremo nempe Joannem ſequar
Diſcipulus, atque verus imitator viri
Sanctiſſimi. Solatio nunquid tibi
Eſt maximo, Silone, quod ſocium brevi,
Fors & Magiſtrum habebis in me? *Silon.* Plurimùm,

Non

Non dubito, Joannes sibi gratulabitur
Tam strenuum Discipulum. *Dam.* Eas igitur, novo
Hoc nuntio recrees Magistrum. Mox sequar,
Ubi latronum evaserit tutus manum. *
Abit Silo nus.
Ite mei, quondam charum pecus, ite juvenci,
Cornigerique boves, & distentæ ubera vaccæ.
Non ego vos posthac cornu reboante per auras
Excitos stabulis ad pinguia rura vocabo.
Non pressos fervente siti Jordanis ad undas
Ultra ductor agam, non me cantante per herbas
Ludetis virides, placidáve jacebitis umbra.
Nec scutica, vel fuste ultra per terga sonante
Jam saturos revocabo domum, quando Hesperus instat.
Ad majora vocor. Jam sanctior impetus urget
Pectora, Vatidicus me spiritus afflat, & inflat.
Non pecudum custos, non sordidus usque bubulcus
Damœtas - Sed quid? * heu -

* *Visis militibus fugere parat Damœtas.*

SCE-

SCENA QUARTA.

Tribunus. Damœtas. Duo milites.

Trib. Siste, vir Dei! Quid fugis, qui tanto studio te inquirunt? *Damœt.* Méne quæritis! Et cur? *Trib.* Fama nempe, quæ dudum Judæam omnem pervasit, nos quoque edocuit, quantas opes in te cœlum congesserit, quibus donis te cumulârit, quàm pretiosum in hac solitudine thesaurum tibi, & per te aliis patefecerit, cujus tu pro eximia, qua flagras, in omne genus hominum charitate nos quoque participes reddere eò minùs gravaberis, quò magis militares animos sacro hoc subsidio indigere perspexeris. *Damœt.* Ignoscite, Domini prædones, mendacissima est hæc fama de ullis â cœlo in me congestis opibus. Frustra certè thesaurum apud me quæritis, qui mortalium omnium sum egentissimus. *Mil.* 1. Ita nempe te loqui docet humilitas. *Trib.* Alia tamen de te opinio est eorum omnium, quibus vel semel tantùm sermonis tui copiam fecisti. Agnoscunt omnes te in egestate ditissimum, in fame perpetua saturum, in rerum omnium penuria abundantem. Non denegabis itaque,

pro-

Propheta maxime, partem illius nectaris, quo te cœlum perpluit, in eos effundere, quos pia Verbi Divini fames, & ardentissima salutis suæ sitis in hanc eremum attraxit. *Damæt.* Fames, & sitis vos huc attraxit? Ecce! mel sylvestre, & frigidum Jordanem recenter haustum, his famem, & sitim, si placeat, depellatis. *Trib.* Vel non percipis, vel simulas te non percipere vota nostra; Veram nempe salutis semitam, & planiorem ad astra viam edoceri cupimus. *Damæt.* Viam ad astra? plane non sum Astronomus, imò ab hoc opificio semper abhorrui; oportet enim Astronomum noctes integras observandis syderibus impendere, quas ego malim somno concedere. *Mil.* 2. Iterum humilitas loquitur. *Trib.* Laudo equidem plurimum tantam inter publicos orbis applausus animi demissionem, eoque altiorem virtutem tuam suspicio, quò magis ipsa se se deprimere, & hominum oculos conatur effugere; liceat tamen dicere, quod sentio, importuna nonnihil, & pene nimia videri hæc humilitas poterit, ubi charitas proximi, & multorum salus exposcit, ut, qua te cœlum dotavit, sapientiam publico communique mortalium bono impendas. Age itaque, charitati humilitatem postpone,

& pro singulari, qua polles, dicendi copia, & gravitate nostros quoque animos ad salutarem pœnitentiam, qua plurimùm indigemus, stimulare non desinas. *Dam.* Non sum Concionator, eloquentiæ omnis prorsus expers. *Mil.* 1. Iterum humilitas loquitur. *Trib.* Frustra dissimulat tua humilitas, quod totius Judææ experientia testatur. Vox tua non desertum modò, sed & urbem, & aulam dudum penetravit. *Damæt.* Ain' verò? Verùmne hoc? clamavi: fateor, sæpius has inter sylvas, nunquam tamen credidi, vocem mihi adeò penetrantem esse, ut in ipsa etiam urbe, & aula audiretur. Loquar deinceps voce magis submissâ. *Trib.* Imò vocem hanc hodie præsertim extollas, rogamus. *Mil.* 1. pronas, & avidas aures dabimus. *Damæt.* Non indigeo vestris auribus, has carnificis cultro reservate. *Mil.* 1. Sed, nos indigemus linguâ tuâ. *Mil.* 2. Aperi ergo ora, & præbe, quod optamus. *Damæt.* Linguam meam? *Trib.* Hâc nisi obtentâ, te non dimittimus. *Damæt.* O Domini prædones. *Mil.* 1. Non sumus prædones. *Damæt.* O Domini Latrones! *Mil.* 2. neque Latrones sumus, sed milites. *Dam.* Quidquid sitis, sive milites, sive prædones, sive latrones, sive omnino lictores

ob-

obſecro, ne meam mihi linguam evellite. Non poſſem perpetuum ſervare ſilentium. *Tribunus ad milites.* Aut fama nos decipit, aut hic non eſt, quem quærimus, Joannes. *ad Damæt.* Nunquid tu Joannes? *Damæt.* Ego? non, non ſum Joannes, ſed tantùm futurus Diſcipulus Joannis. *Trib.* Eſt error comicus in perſona. Ubi ergo Joannes ipſe? *Damæt.* Illíne vultis linguam evellere?

SCENA QUINTA.

Perſonis prioribus accedunt Joannes, & Silonus.

Sil. Ah retrahe greſſum, Pater! obteſtor. *Damæt.* Ita, ita, fuge, fuge Joannes! linguam tibi volunt evellere hi lictores. *Joan.* En linguam! en pectus! en caput! linguam evellite, pectus confodite, caput amputate, & optata hæc tyranno ſpolia, ut juſſi eſtis, afferte. Meruit lingua hæc Apoſtolica dicendi libertate reprehenſi acriter ſceleris furorem, meruit hoc pectus importuno, quo flagrat, regiæ ſalutis deſiderio cruentam ſicam, meruit Joannes & vincula, & carceres, & mortem multiplicem læſæ Majeſtatis graviſſimè reus, dum impu-

denter nudam veritatem expoſuit, regiis auribus dudum inviſam. Explete igitur effuſo hoc ſanguine & Regis inceſti vota, & adulteræ vindictam æquiſſimam: nunquam enim ad publica aulæ crimina tacere hæc lingua poterit, quamdiu huic ori inhærebit. Qui pectus incendit, regiæ ſalutis, & famæ reparandæ ardor non niſi cruore proprio poterit extingui; nihil denique, niſi mors propera, & fortè ne mors quidem Joanni ſilentium imponet. *Trib.* Ignoſce, Prophetarum maxime! falſa, ut adverto, opinio animum tuum occupavit: non enim nos tyranni juſſa, ſed propria, & piiſſima voluntas, non nocendi furor, ſed ſalutis æternæ ſtudium, non crudelitas, ſed pietas in hanc ſolitudinem emiſerunt. Venimus, non ut manus innocuo cruore maculemus, ſed ut ſalubris baptiſmi unda ab animæ maculis abluamur. Venimus denique non iniquæ tyrannidis ſatellites, ſed pœnitentiæ tam avidi, quàm indigi milites. *Damæt.* Nunc tandem capio dicta. *Silon.* Et ego animum recipio. *Joan.* Ergo iterum ſpe mea dejicior? necdum optata diu vincula vel cœleſtis favor, vel Herodianus furor injiciet? meruit utique Joannes, ſi non promulgati Numinis gratiam, ſaltem reprehenſi

acriter Regis iracundiam. Si munere, quod cœlum mihi imposuit, impigrè sum perfunctus, si gratiam, si prœmium, si mercedem promerui, cur, quod unum expeto, gestanda pro Deo vincula Deus denegas? si tuam, Herodias impurissima, Majestatem dicendô violavi, si iram provocavi, quid vindicem manum cohibes? quid linguæ frœnum, catenas corpori injicere detrectas? dudum non nisi vincula, & mortem cruentam à cœlo expecto, à tyrannide exspecto. *Dam.* Mirabilis est hodie Joannes. *Joan.* Animum tamen resumme, Joannes! differt cœlum, non auffert promissam tibi Martyrii palmam. Vos interim me ad Jordanem sequamini. Abluam vos baptismo fluminis, abluendus brevì per vos baptismo sanguinis. *Tribun.* Absit hoc facinus à nostris manibus. *Mil.* 1. Proprio potiùs sanguine tuum redimemus. *Mil.* 2. Socios ego reliquos ad Jordanem convoco.

SCENA SEXTA.

Silonus. Damœtas.

Damœtas. Excessi, erupi, evasi grande periculum, & majorem periculô timorem, quem incusserant hi milites. *Silon.*

Et

Et meum pectus non levis terror invaserat, non de propria, sed Joannis salute sollicitum. *Damœt.* Age igitur, haustu frigidæ terrorem diluamus. *Silon.* Ego quidem non sitio. *Damœt.* Non sitis? *Silon.* Modò non. *Damœt.* Est mirabile, ego semper sitio. *Silon.* Et tamen vis fieri discipulus Joannis? tam sitibundos discipulos non admittit jejunus & sobrius semper Magister. *Damœt.* At quis inde?

SCENA SEPTIMA.

Damœtas. Silon. Florillus. Charillus.

Florill. ad Charill. En! jam adest Propheta. *Charill.* Ergo salutemus. *Flor.* * Quamquam conspectus tuus nobis dudum fuisset optatissimus, Prophetarum maxime, tamen hujus solitudinis aditu non nostra nos voluntas, sed continua aulæ obsequia prohibuêre. Nunc verò cùm mandata regia eò nos ultrò emisêre, quò dudum vota nostra præcesserant, opportunissimum occursum tuum, & oblatam tanto viro colloquendi copiam nobis plurimùm gratulamur. *Damœt.* Quamquam occursus vester mihi prorsus sit inopinatus, vultus verò omnino ignotus, Domini pueri, plurimùm tamen mihi læ-

* *Ad Damœtam.*

tandum censeo, quòd ea specie, & indole juvenes me invisere non dedignentur. Agite itaque, antrum hoc subeamus, fessi eritis. Fortè etiam sitis vos premit. En! frigidam recentem ex Jordane. Proficiat. * *Charill.* Siste, vir DEI, & siquidem sitis te premat, En! liquorem stomacho tuo aptiorem, & tanto viro digniorem. *Florill.* En! & fercula, quæ tibi Princeps regia submittit, suis manibus condita: non enim ignorat, te jejuniis exhaustum refocillatione virium indigere. *Dam.* Hæc mihi Princeps regia? *Flor.* Herodiadis filia. *Silon.* Unde te novit? *Damæt.* Nescio, non memini me illam vidisse. *Flor.* Cui ignotus esse possit vir tantus? quæ ora tam deserta, quæ civitas tam remota, quò non meritorum, & sanctimoniæ tuæ fama pervenerit? *Damæt.* Multùm sanè huic famæ debeo; sed plura Principi vestræ. Millenas illi meo nomine grates referte. Opportunissimè omnino languenti stomacho hæc pharmaca submisit. *Charill.* Plurimùm sibi gratulabitur, si grata hæc tibi fuisse audiêrit. *Dam.* An dubitare potuit? *Flor.* Metuebamus certè, ne oblata recusares; affirmabant enim non pauci, te nihil vini, nec delicatioris cibi admittere, præsertim quem fœminea ma-

* *Lagenam vini depromit.*

nus

nus condiîsset. *Dam.* Quis ista de me? est falsissimum. Dicite, obsecro, Reginæ, & aulæ toti, me admitttere omnia, quò plura, eò gratiora, sive à viris, sive à fœminis; non sum acceptor personarum. Nunquid Silone? *Silon.* Equidem nihil hactenus tibi oblatum vidi, quod recusares. *Damæt.* Ita est, atque ut sermonis mei vos testes oculatos habeam, jam nunc in conspectu vestro hæc omnia absummam. Tu quidem, Silone, non sitis hodie, aliàs & tibi propinarem. * Cedite - - *Flor.* Cape & hanc epistolam, quam manu propria ad te Herodias. *Damæt.* Scítne jam scribere Herodias? tamen ego necdum novi legere; litteras enim nunquam didici. *Charill.* Unde ergo tanta tibi sapientia, quam universus Israël miratur? *Damæt.* Nescio, ipsus miror, mirari alios sapientiam meam. *Flor.* Hanc nempe infusam à cœlo hausisti. *Damæt.* Non nunquam ex cœlo hausi, sed tantùm ex Jordane. Lege tu, Silone. *Silon.* Scis utique, nec me litteris imbutum. *Flor.* Si pateris, nos legemus. *Damæt.* Vos tantilli jam scitis legere? *Charill.* Non tantùm legere, sed & scribere. *Damæt.* Legite ergo. *Flor.* Sed si arcanum contineat? *Damæt.* Ergo reserate, ut pateat arca-

* *Accipit munera, & deponit in antro.*

num. *Flor. legit. Herodias Joanni Prophetæ maximo. Damæt.* Quomodo? - adhuc ſemel - *Florill. repetit. Herodias Joanni Prophetæ maximo. Damæt.* Ergo Joanni inſcribitur hæc epiſtola? *Charill.* Dubitas? *Damæt.* Et fortè etiam Joanni deſtinantur hæc munera? *Flor.* Nam cui alteri? *Silon.* Adverto, eſt iterum error comicus. *Charill.* In titulo eſt error? *Silon.* In perſona erratis. hunc nunquid Joannem creditis? qui tantùm bubulcus eſt. *Damæt.* Mentiris, non ampliùs ſum bubulcus. *Silon.* Saltem non es Joannes. *Flor.* Itáne? non es tu Joannes? *Charill.* Non es tu Propheta ille? *Damæt* An Propheta ſim, neſcio; ſed Joannes non ſum, utut hodie eſſe vellem quàm maximè. *Florill.* Ubi ergo Joannes ipſe? *Damæt.* Ad vicinum Jordanem lavat Æthiopes, hoc eſt, nigerrimos corpore, & animo milites. *Silon.* Si ſequi me placeat, eò vos deducam. *Damæt.* Ego interim hæc Joannis nomine accepta ſedulò cuſtodiam, ne milites vobis auferant. *Charill. ad Silon.* Imò huc ad nos Joannem advoca. *Silon.* Sed ſi venire detrectet? *Flor.* Dic, adeſſe purpuratos; veniet illicò. * *Damæt.* Bene. Sedeamus interim, Domini Pueri, ſedeamus. - - *Charill.* Facilè ſtantes exſpe-

* *Abit Silonus.*

ſpectabimus. *Flor.* Longas utique moras non trahet Joannes. *Damœt.* Enimverò, ſi exhortari jam cœpit milites, tam citò non abrumpet, nec finiet ſermonem, neſcit moderari zelo ſuo. *Charill.* Sed ſi audiêrit, ſe ab aulicis exſpectari? *Damœt.* Eò tardiùs veniet: non enim amat congreſſum nobilium. *Flor.* Et cur non? *Damœt.* Dicit, illis aures eſſe nimiùm teneras, & veritatis impatientes, quam tamen Joannes ubique, & ſine fuco exponit. At ecce! præter ſpem jam adeſt.

SCENA OCTAVA.

Joannes. Silonus. Florillus. Charillus. Damœtas.

Joannes ad Silonum. Hîne ſunt, quos ad me Herodias legavit? *Flor.* De quo nobis plurimùm gratulamur. *Joan.* Armatos ego ſatellites, non comptos juvenes, vincula, non munera, furias, non blanditias ab Herodiade exſpectabam. *Charill.* Malè Principis noſtræ animum perſpexiſti, ſi ejus furorem exſpectas, cujus favorem dudum tua ſanctitas tibi conciliavit. *Flor.* Pignus favoris regii per nos ſubmittit, En: * *Joan.* O piam

liberalitatem! ô fagax fœminæ ingenium! ô fupra fexum prudentiam! quàm bellè huic animo infinuare fe, quàm fortiter expugnare hoc pectus novit Herodias! hi nempe boli * Joanni ora occludent, ne contra matrem adulteram, & incestos thoros ultra declamet. Hæc dulciaria pariter linguam imbuent, ne amarioribus porro verbis aulæ crimina reprehendat. Ite, ite troffuli, renuntiate Herodiadi veftræ, bellaria infantibus objiciat, Joannem virum effe meminerit, non puerum: fœminarum blanditiis capi Herodem poffe, non Joannem. *Damæt.* Ergo refpues hæc munera? accipe, obfecro, fi non pro te, faltem pro tuis difcipulis, quos inter & ego numerari vehementer cupio. *Joan.* Valete, ad milites meos redeo. *Flor.* Hanc faltem epiftolam perleges, regiæ Principis manu exaratam. *Joan.* Non intelligo ftylum aulicum, nec fœmineis characteribus legendis hic oculus affuevit.

SCENA NONA.

Charillus. Florillus. Damœtas.

Flor. Quæ hæc infolentia? quis faftus? *Charill.* Hæcne celebrata adeò Joannis humi-

humilitas? *Damœt.* Fateor, mea humilitas hac in parte esset profundior. Acceptarem ego hæc omnia. An verò ea in Aulam referetis? nimiùm vos gravabunt. Sublevabo vos hoc onere. *Flor.* Si Magistro tuo, & insolentissimi hominis disciplinæ renunties, cedemus aliqua saltem. *Charill.* Ne jungas te homini, qui in se, & asseclas suos non nisi furorem regium, & persecutiones gravissimas concitabit. *Damœt.* Sed quò, deserto Joanne, me conferam? rursus ad boves meos? *Flor.* Sequare nos ad aulam, congruum tuæ indoli munus impetrabimus. *Dam.* Ego ad aulam? *Charill.* Si non aliud, poteris agere ConsiliariumRegis ad mensam. *Dam.* Ego Consiliarius Regis? & ad mensam? gravis tentatio contra Vocationem! *Flor.* Sortem tuam nobis committe; providebimus. Interim pignus cape. Quid ex his placet? * *Damœt* placerent omnia. *Charill.* Manum porrige. *Dam.* Imò saccum. Plus capit, quàm manus * En! adhuc unus superest. *Flor.* Accipe hæc, & vale, donec in Aulam te evocemus. *Charill.* Et hæc absume in nostram sanitatem. *Damœt.* Faciam, faciam, & quidem statim, priusquam Joannes videat. Aliàs fortè me non admitteret inter Discipulos suos. Cùm enim ipse sit neque mandu-

cans, neque bibens, omnes sectatores suos volet sibi similes. *Florill.* Quid moraris Joannem? brevì hic absolvet Magisterium suum, carcerem pro auditorio nactus.

SCENA DECIMA.

Agrippa. Florillus. Charillus. Duo Satellites.

Agrippa. Opportunè occurritis. An functi estis legatione vestra? & quo successu? num mentem viri flexêre Principum favores, & munera? *Flor.* Quæ inaudito fastu rejecit, ne legere quidem epistolam dignatus. *Charill.* Ut sileamus probrosa nimiùm verba, quæ in Regem, & Reginam præsentibus nobis evomere non dubitavit mortalium insolentissimus. *Agrippa.* Sat est. Flecti favore noluit, frangi terrore poterit. Alium ego admoveo arietem. Vos recedite non nihil, & meum in vicinia reditum exspectate.

SCENA UNDECIMA.

Agrippa. Duo Satellites.

Agrippa. Adeste satellites! hoc nunquid antrum est, in quo ferox hic draco stabu-

ſtabulatur? unde venenata toties lingua Majeſtatem regiam exſibilavit? *Satell. 1.* Ita, hoc ipſum eſt, ùt credo. *Agrippa.* Hoc ergo cingite, vincula & catenas expromite, & meis nutibus intenti ſtate. Tu explora, an præſens ſit. *Satell.* 2. Domine Centurio, obſecro, tibi & nobis cave. Dicunt, Prophetam hunc Eliam eſſe. *Agripp.* Et ſi plus quàm Elias ſit, non evadet. *Satell. 1.* Sed ſi faciat, quod Elias? *Agripp.* Quid ergo Elias? *Satell. 1.* Ignem, ùt aliquando audivi, de cœlo evocavit Elias, qui quinquaginta milites unà cum Duce ſuo devoravit. *Agripp.* Nempe quia vappæ erant, tibi ſimiles. *Satell.* 2. Domine Centurio, jam vidi illum, Eſt, eſt intus. *Agripp.* Quid agit? *Satell.* 2. Dixi: Eſt, eſt. Ecce! *

* *Monſtrat in tuguriolo comedentem, & bibentem Damœtam.*

SCENA DUODECIMA.

Agrippa. Damœtas. Duo Satellites.

Agripp. Quouſque tandem Regis patientiâ abutêre, mortalium viliſſime? quamdiu linguæ effrenis impetus aulæ univerſæ illudet? quò demum ſe, ſe tua extollet ſuperbia? Nihil ergo te majeſtas re-

regia, nihil debita sceptris reverentia, nihil Principum munera, nihil gentium, & naturæ jura moverunt? insolenti ore vitam tuorum Principum lacerare non cessas? justissimum regni furorem in te concitare non times? ô hominis, si tamen hominis insolentiam! ô Regis patientiam! aula universa hæc intelligit, & videt, hic tamen vivit? imò insultat etiam. Oblata Principum munera conculcat, supplicem & penè pedibus advolutam Regis filiam repudiat. Nos verò regni, & Regis honori præclarè demum consuluisse videbimur, si precibus & muneribus â vilissimo homuncione id demum impetremus, ut, quas regiæ Majestati injurias intulit, ferenti Regi subditus ignoscat. *Damæt. ad Satellitem.* In quem ista? an in te? *Satell.* In te. *Agripp.* Illudis etiam? age, frangam tandem superba cornua, dediscees ludere. Vincula, miles, inijce. *Damæt.* O superi! vos obtestor. Ignis de cœlo decidat, & devoret. - - *Satelles.* 1 Ecce! jam ignem è cœlo evocat; recedimus. *Agripp.* Quid? téne etiam imprecari? *Damæt.* Ignoscite! Tantùm jurare volui, & dicere: Ignis è cœlo decidat, & me devoret, si tibi illusi unquam. *Agripp.* Sed, quod ferendum minùs, toti Domui regiæ. *Damæt.* Hic iterum ignis è cœlo decidat,

cidat,

cidat, & me devoret, si vel Regem, vel Regis domum unquam viderim. *Agripp.* Etsi non videris, verbis tamen temerariis regiæ totius famam indignissimè proscidisti. *Damæt.* Hîc iterum, si exigas, jurabo per cœlum, & terras, & inferos. Mera hæc est calumnia, quam finxit invidia, ut hominem candidissimum denigraret. Si quid tamen imprudenti excidit, quod vel Regem, vel aulam offendere potuit, id omne simplicitati meæ tribuendum existimes. *Agripp.* An revocas ergo, quæ in Majestatem regiam impudens lingua effutiît? an temeritatis veniam supplex rogabis? an contempta fastuosè munera demum admittes? *Dam.* Ubi munera? & qualia? *Agripp.* Quæ ab Ephebis regiis oblata insolenti fastu rejecisti. *Damæt.* Hoc est falsissimum. Promptissimè acceptavi, quidquid obtulerunt, accepturus omnia, si dedissent, sed noluérunt. *Agripp.* Veráne ista? *Damæt.* Verissima. En adhuc reliquias * *Agripp.* Ergo fraudes, & mendacia struxerunt Ephebi? * Ocyus huc illos advoca. Tu verò, vir Dei, veniam dabis, si mala fraude delusus acriùs, quàm oportebat, in te invectus sum. Compensabo injuriam. *Damæt.* Agnoscis ergo innocentiam meam? *Agripp.* Quam & Regi patefaci-

am

am. Imò gratissimum aulæ omni præstabis obsequium, si regiam mecum adire non gravaberis. Singulari favore te Rex excipiet; ubi mentem tuam in meliora mutatam audiêrit. *Damæt*. Non dedignabor adire aulam. Manus duntaxat, & faciem lavabo, ut nitidior in conspectu Regis appaream. Breves hìc moras patere. *Satell.* 1. Gaudeo ego, rem tam pacificè transactam. Imus jam, & post tantam expeditionem fessa curamus corpora. *Agripp.* Abi. Ego Ephebos exspecto. *Satell.* Jam appropinquant.

SCENA DECIMATERTIA.

Agrippa. Florillus. Charillus.

Agripp. Quas fraudes, quæ mendacia, quos dolos struitis? *Charill.* Parciùs ista viris! *Agrippa.* Destinata Joanni munera obtulistis? *Flor.* Liberalissimè. *Agripp.* Et hæc rejecit? *Char.* Fastuosissimè. *Agripp.* Et vos mentimini impudentissimè. *Flor.* Jam collocutus es Joanni? *Char.* An negare est ausus? *Flor.* En præsentem!

SCE-

SCENA DECIMAQUARTA.

Joannes. Agrippa. Florillus. Charillus.

Joan. Adhuc inter deſerta hæretis, vulpeculæ aulicæ? adhuc inviſa munera obtruditis? Ite, ite. Veſtram ego vobis aulam, vos meam mihi ſolitudinem concedite. Si reſponderi ſibi Herodias petit, mittat armatos, paret vincula, non fercula * *Flor. ad Agrippam.* Audiſtin'? *Agrippa.* Quis verò hic homo? *Charill.* Ipſe, de quo quærimur, Joannes. *Agrippa.* Aut decipior, aut jam deceptus ſum. *Flor.* Eodem fortè, quo nos errore. Joannis Diſcipulum Joannem credidiſti. *Agrippa.* Ergo reparandus error. Sequamini. Junctis viribus, blanditiis, & minis hominem à conſtantia dejicimus. *Flor.* Hanc gloriam tibi ſoli cedimus. *Charill.* Nos aulam repetimus.

* *Antrum ſubit Joannes.*

SCENA DECIMAQUINTA.

Agrippa. Joannes.

Agrippa. Dabis veniam, Propheta maxime, ſi amatas tibi ſolitudinis delicias interpello; imò, ut liberè dicam, quod Regis

Propheta maxime, partem illius nectaris, quo te cœlum perpluit, in eos effundere, quos pia Verbi Divini fames, & ardentissima salutis suæ sitis in hanc eremum attraxit. *Damæt.* Fames, & sitis vos huc attraxit? Ecce! mel sylvestre, & frigidum Jordanem recenter haustum, his famem, & sitim, si placeat, depellatis. *Trib.* Vel non percipis, vel simulas te non percipere vota nostra; Veram nempe salutis semitam, & planiorem ad astra viam edoceri cupimus. *Damæt.* Viam ad astra? planè non sum Astronomus, imò ab hoc opificio semper abhorrui; oportet enim Astronomum noctes integras observandis syderibus impendere, quas ego malim somno concedere. *Mil.* 2. Iterum humilitas loquitur. *Trib.* Laudo equidem plurimùm tantam inter publicos orbis applausus animi demissionem, eoque altiorem virtutem tuam suspicio, quò magis ipsa se se deprimere, & hominum oculos conatur effugere; liceat tamen dicere, quod sentio, importuna nonnihil, & pene nimia videri hæc humilitas poterit, ubi charitas proximi, & multorum salus exposcit, ut, qua te cœlum dotavit, sapientiam publico communique mortalium bono impendas. Age itaque, charitati humilitatem postpone,

&

& pro singulari, qua polles, dicendi copia, & gravitate nostros quoque animos ad salutarem pœnitentiam, quæ plurimùm indigemus, stimulare non desinas. *Dam.* Non sum Concionator, eloquentiæ omnis prorsus expers. *Mil.* 1. Iterum humilitas loquitur. *Trib.* Frustra dissimulat tua humilitas, quod totius Judææ experientia testatur. Vox tua non desertum modò, sed & urbem, & aulam dudum penetravit. *Damæt.* Ain' verò? Verúmne hoc? clamavi: fateor, sæpius has inter sylvas, nunquam tamen credidi, vocem mihi adeò penetrantem esse, ut in ipsa etiam urbe, & aula audiretur. Loquar deinceps voce magis submissâ. *Trib.* Imò vocem hanc hodie præsertim extollas, rogamus. *Mil.* 1. pronas, & avidas aures dabimus. *Damæt.* Non indigeo vestris auribus, has carnificis cultro reservate. *Mil.* 1. Sed, nos indigemus linguâ tuâ. *Mil.* 2. Aperi ergo ora, & præbe, quod optamus. *Damæt.* Linguam meam? *Trib.* Hâc nisi obtentâ, te non dimittimus. *Damæt.* O Domini prædones. *Mil.* 1. Non sumus prædones. *Damæt.* O Domini Latrones! *Mil.* 2. neque Latrones sumus, sed milites. *Dam.* Quidquid sitis, sive milites, sive prædones, sive latrones, sive omnino lictores

ob-

obsecro, ne meam mihi linguam evellite. Non possem perpetuum servare silentium. *Tribunus ad milites.* Aut fama nos decipit, aut hic non est, quem quærimus, Joannes. *ad Damæt.* Nunquid tu Joannes? *Damæt.* Ego? non, non sum Joannes, sed tantùm futurus Discipulus Joannis. *Trib.* Est error comicus in persona. Ubi ergo Joannes ipse? *Damæt.* Illine vultis linguam evellere?

SCENA QUINTA.

Personis prioribus accedunt Joannes, & Silonus.

Sil. Ah retrahe gressum, Pater! obtestor. *Damæt.* Ita, ita, fuge, fuge Joannes! linguam tibi volunt evellere hi lictores. *Joan.* En linguam! en pectus! en caput! linguam evellite, pectus confodite, caput amputate, & optata hæc tyranno spolia, ut jussi estis, afferte. Meruit lingua hæc Apostolica dicendi libertate reprehensi acriter sceleris furorem, meruit hoc pectus importuno, quo flagrat, regiæ salutis desiderio cruentam sicam, meruit Joannes & vincula, & carceres, & mortem multiplicem læsæ Majestatis gravissimè reus, dum impuden-

denter nudam veritatem exposuit, regiis auribus dudum invisam. Explete igitur effuso hoc sanguine & Regis incesti vota, & adulteræ vindictam æquissimam: nunquam enim ad publica aulæ crimina tacere hæc lingua poterit, quamdiu huic ori inhærebit. Qui pectus incendit, regiæ salutis, & famæ reparandæ ardor non nisi cruore proprio poterit extingui; nihil denique, nisi mors propera, & fortè ne mors quidem Joanni silentium imponet. *Trib.* Ignosce, Prophetarum maxime! falsa, ut adverto, opinio animum tuum occupavit: non enim nos tyranni jussa, sed propria, & piissima voluntas, non nocendi furor, sed salutis æternæ studium, non crudelitas, sed pietas in hanc solitudinem emiserunt. Venimus, non ut manus innocuo cruore maculemus, sed ut salubris baptismi unda ab animæ maculis abluamur. Venimus denique non iniquæ tyrannidis satellites, sed pœnitentiæ tam avidi, quàm indigi milites. *Damœt.* Nunc tandem capio dicta. *Silon.* Et ego animum recipio. *Joan.* Ergo iterum spe mea dejicior? necdum optata diu vincula vel cœlestis favor, vel Herodianus furor injiciet? meruit utique Joannes, si non promulgati Numinis gratiam, saltem reprehensi

acriter Regis iracundiam. Si munere, quod cœlum mihi imposuit, impigrè sum perfunctus, si gratiam, si prœmium, si mercedem promerui, cur, quod unum expeto, gestanda pro DEO vincula DEUS denegas? si tuam, Herodias impurissima, Majestatem dicendô violavi, si iram provocavi, quid vindicem manum cohibes? quid linguæ frœnum, catenas corpori injicere detrectas? dudum non nisi vincula, & mortem cruentam à cœlo expeto, à tyrannide exspecto. *Dam.* Mirabilis est hodie Joannes. *Joan.* Animum tamen resumme, Joannes! differt cœlum, non auffert promissam tibi Martyrii palmam. Vos interim me ad Jordanem sequamini. Abluam vos baptismo fluminis, abluendus brevì per vos baptismo sanguinis. *Tribun.* Absit hoc facinus à nostris manibus. *Mil.* 1. Proprio potiùs sanguine tuum redimemus. *Mil.* 2. Socios ego reliquos ad Jordanem convoco.

SCENA SEXTA.

Silonus. Damœtas.

Damœtas. Excessi, erupi, evasi grande periculum, & majorem periculô timorem, quem incusserant hi milites. *Silon.*

Et

Et meum pectus non levis terror invaserat, non de propria, sed Joannis salute sollicitum. *Damæt.* Age igitur, haustu frigidæ terrorem diluamus. *Silon.* Ego quidem non sitio. *Damæt.* Non sitis? *Silon.* Modò non. *Damæt.* Est mirabile, ego semper sitio. *Silon.* Et tamen vis fieri discipulus Joannis? tam sitibundos discipulos non admittit jejunus & sobrius semper Magister. *Damæt.* At quis inde?

SCENA SEPTIMA.

Damœtas. Silon. Florillus. Charillus.

Florill. ad Charill. En! jam adest Propheta. *Charill.* Ergo salutemus. *Flor.* * Quamquam conspectus tuus nobis dudum fuisset optatissimus, Prophetarum maxime, tamen hujus solitudinis aditu non nostra nos voluntas, sed continua aulæ obsequia prohibuêre. Nunc verò cùm mandata regia eò nos ultrò emisêre, quò dudum vota nostra præcesserant, opportunissimum occursum tuum, & oblatam tanto viro colloquendi copiam nobis plurimùm gratulamur. *Damæt.* Quamquam occursus vester mihi prorsus sit inopinatus, vultus verò omnino ignotus, Domini pueri, plurimùm tamen mihi læ-

* *Ad Damætam.*

tandum censeo, quòd ea specie, & indole juvenes me invisere non dedignentur. Agite itaque, antrum hoc subeamus, fessi eritis. Fortè etiam sitis vos premit. En! frigidam recentem ex Jordane. Proficiat. * *Charill.* Siste, vir DEI, & siquidem sitis te premat, En! liquorem stomacho tuo aptiorem, & tanto viro digniorem. *Florill.* En! & fercula, quæ tibi Princeps regia submittit, suis manibus condita: non enim ignorat, te jejuniis exhaustum refocillatione virium indigere. *Dam.* Hæc mihi Princeps regia? *Flor.* Herodiadis filia. *Silon.* Unde te novit? *Damæt.* Nescio, non memini me illam vidisse. *Flor.* Cui ignotus esse possit vir tantus? quæ ora tam deserta, quæ civitas tam remota, quò non meritorum, & sanctimoniæ tuæ fama pervenerit? *Damæt.* Multùm sanè huic famæ debeo; sed plura Principi vestræ. Millenas illi meo nomine grates referte. Opportunissimè omnino languenti stomacho hæc pharmaca submisit. *Charill.* Plurimùm sibi gratulabitur, si grata hæc tibi fuisse audierit. *Dam.* An dubitare potuit? *Flor.* Metuebamus certè, ne oblata recusares; affirmabant enim non pauci, te nihil vini, nec delicatioris cibi admittere, præsertim quem fœminea manus

* *Lagenam vini depromit.*

nus

nus condiisset. *Dam.* Quis ista de me? est falsissimum. Dicite, obsecro, Reginæ, & aulæ toti, me admitttere omnia, quò plura, eò gratiora, sive à viris, sive à fœminis; non sum acceptor personarum. Nunquid Silone? *Silon.* Equidem nihil hactenus tibi oblatum vidi, quod recusares. *Damæt.* Ita est, atque ut sermonis mei vos testes oculatos habeam, jam nunc in conspectu vestro hæc omnia absummam. Tu quidem, Silone, non sitis hodie, aliàs & tibi propinarem; * Cedite - - *Flor.* Cape & hanc epistolam, quam manu propria ad te Herodias. *Damæt.* Scitne jam scribere Herodias? tamen ego necdum novi legere; litteras enim nunquam didici. *Charill.* Unde ergo tanta tibi sapientia, quam universus Israël miratur? *Damæt.* Nescio, ipsus miror, mirari alios sapientiam meam. *Flor.* Hanc nempe infusam à cœlo hausisti. *Damæt.* Non nunquam ex cœlo hausi, sed tantùm ex Jordane. Lege tu, Silone. *Silon.* Scis utique, nec me litteris imbutum. *Flor.* Si pateris, nos legemus. *Damæt.* Vos tantilli jam scitis legere? *Charill.* Non tantùm legere, sed & scribere. *Damæt.* Legite ergo. *Flor.* Sed si arcanum contineat? *Damæt.* Ergo reserate, ut pateat arcanum

* *Accipit munera, & deponit in antro.*

 num

num. *Flor. legit. Herodias Joanni Prophetæ maximo. Damœt.* Quomodo? - adhuc semel - *Florill. repetit. Herodias Joanni Prophetæ maximo. Damœt.* Ergo Joanni inscribitur hæc epistola? *Charill.* Dubitas? *Damœt.* Et fortè etiam Joanni destinantur hæc munera? *Flor.* Nam cui alteri? *Silon.* Adverto, est iterum error comicus. *Charill.* In titulo est error? *Silon.* In persona erratis. hunc nunquid Joannem creditis? qui tantùm bubulcus est. *Damœt.* Mentiris, non ampliùs sum bubulcus. *Silon.* Saltem non es Joannes. *Flor.* Itáne? non es tu Joannes? *Charill.* Non es tu Propheta ille? *Damœt* An Propheta sim, nescio; sed Joannes non sum, utut hodie esse vellem quàm maximè. *Florill.* Ubi ergo Joannes ipse? *Damœt.* Ad vicinum Jordanem lavat Æthiopes, hoc est, nigerrimos corpore, & animo milites. *Silon.* Si sequi me placeat, eò vos deducam. *Damœt.* Ego interim hæc Joannis nomine accepta sedulò custodiam, ne milites vobis aufferant. *Charill. ad Silon.* Imò huc ad nos Joannem advoca. *Silon.* Sed si venire detrectet? *Flor.* Dic, adesse purpuratos; veniet illicò. * *Damœt.* Bene. Sedeamus interim, Domini Pueri, sedeamus. - - *Charill.* Facilè stantes ex-

* *Abit Silonus.*

spe-

ſpectabimus. *Flor.* Longas utique moras non trahet Joannes. *Damæt.* Enimverò, ſi exhortari jam cœpit milites, tam citò non abrumpet, nec finiet ſermonem, neſcit moderari zelo ſuo. *Charill.* Sed ſi audiêrit, ſe ab aulicis exſpectari? *Damæt.* Eò tardiùs veniet: non enim amat congreſſum nobilium. *Flor.* Et cur non? *Damæt.* Dicit, illis aures eſſe nimiùm teneras, & veritatis impatientes, quam tamen Joannes ubique, & ſine fuco exponit. At ecce! præter ſpem jam adeſt.

SCENA OCTAVA.

Joannes. Silonus. Florillus. Charillus. Damœtas.

Joannes ad Silonum. Hîne ſunt, quos ad me Herodias legavit? *Flor.* De quo nobis plurimùm gratulamur. *Joan.* Armatos ego ſatellites, non comptos juvenes, vincula, non munera, furias, non blanditias ab Herodiade exſpectabam. *Charill.* Malè Principis noſtræ animum perſpexiſti, ſi ejus furorem exſpectas, cujus favorem dudum tua ſanctitas tibi conciliavit. *Flor.* Pignus favoris regii per nos ſubmittit, En: * *Joan.* O piam liber-

liberalitatem! ô ſagax fœminæ ingenium! ô ſupra ſexum prudentiam! quàm bellè huic animo inſinuare ſe, quàm fortiter expugnare hoc pectus novit Herodias! hi nempe boli * Joanni ora occludent, ne contra matrem adulteram, & inceſtos thoros ultra declamet. Hæc dulciaria pariter linguam imbuent, ne amarioribus porro verbis aulæ crimina reprehendat. Ite, ite troſſuli, renuntiate Herodiadi veſtræ, bellaria infantibus objiciat, Joannem virum eſſe meminerit, non puerum: fœminarum blanditiis capi Herodem poſſe, non Joannem. *Damæt.* Ergo reſpues hæc munera? accipe, obſecro, ſi non pro te, ſaltem pro tuis diſcipulis, quos inter & ego numerari vehementer cupio. *Joan.* Valete, ad milites meos redeo. *Flor.* Hanc ſaltem epiſtolam perleges, regiæ Principis manu exaratam. *Joan.* Non intelligo ſtylum aulicum, nec fœmineis characteribus legendis hic oculus aſſuevit.

SCENA NONA.

Charillus. Florillus. Damœtas.

Flor. Quæ hæc inſolentia? quis faſtus? *Charill.* Hæcne celebrata adeò Joannis humi-

humilitas? *Damœt.* Fateor, mea humilitas hac in parte esset profundior. Acceptarem ego hæc omnia. An verò ea in Aulam referetis? nimiùm vos gravabunt. Sublevabo vos hoc onere. *Flor.* Si Magistro tuo, & insolentissimi hominis disciplinæ renunties, cedemus aliqua saltem. *Charill.* Ne jungas te homini, qui in se, & asseclas suos non nisi furorem regium, & persecutiones gravissimas concitabit. *Damœt.* Sed quò, deserto Joanne, me conferam? rursus ad boves meos? *Flor.* Sequare nos ad aulam, congruum tuæ indoli munus impetrabimus. *Dam.* Ego ad aulam? *Charill.* Si non aliud, poteris agere ConsiliariumRegis ad mensam. *Dam.* Ego Consiliarius Regis? & ad mensam? gravis tentatio contra Vocationem! *Flor.* Sortem tuam nobis committe; providebimus. Interim pignus cape. Quid ex his placet? * *Damœt* placerent omnia. *Charill.* Manum porrige. *Dam.* Imò saccum. Plus capit, quàm manus * En! adhuc unus superest. *Flor.* Accipe hæc, & vale, donec in Aulam te evocemus. *Charill.* Et hæc absume in nostram sanitatem. *Damœt.* Faciam, faciam, & quidem statim, priusquam Joannes videat. Aliàs fortè me non admitteret inter Discipulos suos. Cùm enim ipse sit neque mandu-

cans, neque bibens, omnes sectatores suos volet sibi similes. *Florill.* Quid moraris Joannem? brevì hic absolvet Magisterium suum, carcerem pro auditorio nactus.

SCENA DECIMA.

Agrippa. Florillus. Charillus. Duo Satellites.

Agrippa. Opportunè occurritis. An functi estis legatione vestra? & quo successu? num mentem viri flexêre Principum favores, & munera? *Flor.* Quæ inaudito fastu rejecit, ne legere quidem epistolam dignatus. *Charill.* Ut sileamus probrosa nimiùm verba, quæ in Regem, & Reginam præsentibus nobis evomere non dubitavit mortalium insolentissimus. *Agrippa.* Sat est. Flecti favore noluit, frangi terrore poterit. Alium ego admoveo arietem. Vos recedite non nihil, & meum in vicinia reditum exspectate.

SCENA UNDECIMA,

Agrippa. Duo Satellites.

Agrippa. Adeste satellites! hoc nunquid antrum est, in quo ferox hic draco stabu-

ſtabulatur? unde venenata toties lingua Majeſtatem regiam exſibilavit? *Satell. 1.* Ita, hoc ipſum eſt, ùt credo. *Agrippa.* Hoc ergo cingite, vincula & catenas expromite, & meis nutibus intenti ſtate. Tu explora, an præſens ſit. *Satell. 2.* Domine Centurio, obſecro, tibi & nobis cave. Dicunt, Prophetam hunc Eliam eſſe. *Agripp.* Et ſi plus quàm Elias ſit, non evadet. *Satell. 1.* Sed ſi faciat, quod Elias? *Agripp.* Quid ergo Elias? *Satell. 1.* Ignem, ùt aliquando audivi, de cœlo evocavit Elias, qui quinquaginta milites unà cum Duce ſuo devoravit. *Agripp.* Nempe quia vappæ erant, tibi ſimiles. *Satell. 2.* Domine Centurio, jam vidi illum, Eſt, eſt intus. *Agripp.* Quid agit? *Satell. 2.* Dixi: Eſt, eſt. Ecce! *

* *Monſtrat in ſugillo comedentem, & bibentem Damætam.*

SCENA DUODECIMA.

Agrippa. Damætas. Duo Satellites.

Agripp. Quouſque tandem Regis patientiâ abutêre, mortalium viliſſime? quamdiu linguæ effrenis impetus aulæ univerſæ illudet? quò demum ſe ſe tua extollet ſuperbia? Nihil ergo te majeſtas re-

regia, nihil debita sceptris reverentia, nihil Principum munera, nihil gentium, & naturæ jura moverunt? insolenti ore vitam tuorum Principum lacerare non cessas? justissimum regni furorem in te concitare non times? ô hominis, si tamen hominis insolentiam! ô Regis patientiam! aula universa hæc intelligit, & videt, hic tamen vivit? imò insultat etiam. Oblata Principum munera conculcat, supplicem & penè pedibus advolutam Regis filiam repudiat. Nos verò regni, & Regis honori præclarè demum consuluisse videbimur, si precibus & muneribus â vilissimo homuncione id demum impetremus, ut, quas regiæ Majestati injurias intulit, ferenti Regi subditus ignoscat. *Damæt. ad Satellitem.* In quem istä? an in te? *Satell.* In te. *Agripp.* Illudis etiam? age, frangam tandem superba cornua, dediscees ludere. Vincula, miles, inijce. *Damæt.* O superi! vos obtestor. Ignis de cœlo decidat, & devoret. - - *Satelles.* 1. Ecce! jam ignem è cœlo evocat; recedimus. *Agripp.* Quid? téne etiam imprecari? *Damæt.* Ignoscite! Tantùm jurare volui, & dicere: Ignis è cœlo decidat, & me devoret, si tibi illusi unquam. *Agripp.* Sed, quod ferendum minùs, toti Domui regiæ. *Damæt,* Hìc iterum ignis è cœlo decidat,

cidat, & me devoret, si vel Regem, vel Regis domum unquam viderim. *Agripp.* Etsi non videris, verbis tamen temerariis regiæ totius famam indignissimè proscidisti. *Damæt.* Hîc iterum, si exigas, jurabo per cœlum, & terras, & inferos. Mera hæc est calumnia, quam finxit invidia, ut hominem candidissimum denigraret. Si quid tamen imprudenti excidit, quod vel Regem, vel aulam offendere potuit, id omne simplicitati meæ tribuendum existimes. *Agripp.* An revocas ergo, quæ in Majestatem regiam impudens lingua effutiît? an temeritatis veniam supplex rogabis? an contempta fastuosè munera demum admittes? *Dam.* Ubi munera? & qualia? *Agripp.* Quæ ab Ephebis regiis oblata insolenti fastu rejecisti. *Damæt.* Hoc est falsissimum. Promptissimè acceptavi, quidquid obtulerunt, accepturus omnia, si dedissent, sed noluérunt. *Agripp.* Veráne ista? *Damæt.* Verissima. En adhuc reliquias * *Agripp.* Ergo fraudes, & mendacia struxerunt Ephebi? * Ocyus huc illos advoca. Tu verò, vir Dei, veniam dabis, si mala fraude delusus acriùs, quàm oportebat, in te invectus sum. Compensabo injuriam. *Damæt.* Agnoscis ergo innocentiam meam? *Agripp.* Quam & Regi patefaci-

am

am. Imò gratissimum aulæ omni præstabis obsequium, si regiam mecum adire non gravaberis. Singulari favore te Rex excipiet, ubi mentem tuam in meliora mutatam audierit. *Damæt*. Non dedignabor adire aulam. Manus duntaxat, & faciem lavabo, ut nitidior in conspectu Regis appaream. Breves hìc moras patere. *Satell.* 1. Gaudeo ego, rem tam pacificè transactam. Imus jam, & post tantam expeditionem fessa curamus corpora. *Agripp.* Abi. Ego Ephebos exspecto. *Satell.* Jam appropinquant.

SCENA DECIMATERTIA.

Agrippa. Florillus. Charillus.

Agripp. Quas fraudes, quæ mendacia, quos dolos struitis? *Charill.* Parciùs ista viris! *Agrippa.* Destinata Joanni munera obtulistis? *Flor.* Liberalissimè. *Agripp.* Et hæc rejecit? *Char.* Fastuosissimè. *Agripp.* Et vos mentimini impudentissimè. *Flor.* Jam collocutus es Joanni? *Char.* An negare est ausus? *Flor.* En præsentem!

SCENA DECIMAQUARTA.

Joannes. Agrippa. Florillus. Charillus.

Joan. Adhuc inter deserta hæretis, vulpeculæ aulicæ? adhuc invisa munera obtruditis? Ite, ite. Vestram ego vobis aulam, vos meam mihi solitudinem concedite. Si responderi sibi Herodias petit, mittat armatos, paret vincula, non fercula * *Flor. ad Agrippam.* Audistin'? *Agrippa.* Quis verò hic homo? *Charill.* Ipse, de quo quærimur, Joannes. *Agrippa.* Aut decipior, aut jam deceptus sum. *Flor.* Eodem fortè, quo nos errore. Joannis Discipulum Joannem credidisti. *Agrippa.* Ergo reparandus error. Sequamini. Junctis viribus, blanditiis, & minis hominem à constantia dejicimus. *Flor.* Hanc gloriam tibi soli cedimus. *Charill.* Nos aulam repetimus.

* *Anastrum subis Joanni*

SCENA DECIMAQUINTA.

Agrippa. Joannes.

Agrippa. Dabis veniam, Propheta maxime, si amatas tibi solitudinis delicias interpello; imò, ut liberè dicam, quod

Regis

Regis imperia injunxêre, â solitudine te abstrahere contendam. *Joan.* Et quò abstrahes? ad vincula, ad carceres, ad mortem? *Agripp.* Noli, obsecro, tantæ impietatis vel Regem, vel aulam arguere, quasi innocentiam ad vincula, sanctitatis splendorem ad carcerum tenebras damnarent. non ad ergastula, sed aulam regiam, non ad vinculorum infamiam, sed debitos tantæ virtuti honores regius te favor invitat. *Joan.* Favor regius? quô verò demum factô hunc favorem regium mihi conciliavi? adeóne aulæ, & Regi placuit nupera Panegyris, qua incestas Regis nuptias facundè utique dilaudavi? hanc si repeti sibi Herodes velit, sequar invitantem, & quod nuper in deserto, idem in urbe, & aula clamabo: *NON LICET TIBI* - - *Agripp.* Zelo, utut laudabil, modum ponere docebit aula, ubi penitiùs ejusdem mores perspexeris. *Joan.* Sit. Adibo aulam; sed ea conditione. *Agrippa.* Quali? *Joan.* Ea conditione, si priùs expulsa inde abeat adultera. Hæc Regi tuo referre poteris. responsum exspectabo. * *Agrippa.* Hæc mihi? hæc Regi insolens? Ibis, ibis tamen, & -

* *Redit ad antrum suum Joannes.*

SCENA

SCENA DECIMASEXTA.

Agrippa. Damœtas.

Damœt. Gratiose Domine, en! præstò sum, lotus, & lautus. Properemus ad aulam. *Agripp.* Comitari, si lubet, poteris Magistrum tuum. Submittam comites, qui vos deducant. * *Damœt.* Ergo etiam Joannes aulam adibit? Ecce! ecce! quid non possit ambitio; etiam Sanctos titillat.

SCENA DECIMASEPTIMA.

Damœtas. Silonus.

Silon. Damœta, ubi modò Joannes? *Damœt.* Modò adhuc est in deserto; sed brevì mecum erit alibi. An & tu nobiscum ad aulam? *Silon.* Ad aulam? ergo aulam adibit Joannes? *Damœt.* Et ego pariter. *Silon.* Et quid in aula? *Damœt.* Joannes, credo, erit Concionator aulicus; ego verò Regis ad mensam Consiliarius. *Silon.* Tu Regis Consiliarius? *Damœt.* Nunquid non divinâsses talia? nec ego somniâssem; sed nempe ludit in humanis Divina potentia rebus, qui priùs in caula latuit, jam splendet in aula. Ecce! jam spiritus aulicus afflare me in-

cipit, & inflare. Retro, paſtorcule! retro, aut difflabit te ſpiritus oris mei. *Silon* Mirabilis ſanè te inflat ſpiritus; Cave, ne tibi ſtomachum, aut ſaltem cerebrum diſrumpat. *Damœt.* Reverentia! cuſtos pecudum, reverentia! erga perſonam aulicam, & Regis conſiliarium paulò pòſt futurum. *Silon* Stultus es paulò pòſt futurus; imò jam nunc es. *Damœt.* Apage, non dignor te iracundiâ meâ.

SCENA DECIMAOCTAVA.

Damœtas. Duo Satellites.

Satell. 1. Difficile imperium! quid agendum? *Satell.* 2. Debebimus parere, vel pendere. *Satell.* 1. Melius eſt agere, quàm pati. *Satell.* 2. Agamus ergo, ſed cautè. *Satell.* 1. Propheta maxime, latus tuum ſtipare jubemur, & in aulam te deducere. *Damœt.* Dux veſter vos ſubmiſit, nunquid? *Satell.* 2. Invitos equidem. *Damœt.* Agite igitur, in aulam me deducite, ſed recto tramite. *Satell.* 1. Rectiſſimo, & breviſſimo. * *Damœt.* Quid hoc? quid vos? *Satell.* 2. Ne fortè labaris in lubrico, ferro pedes tuos munimus. *Damœt.* Mihíne compedes injicere? heu! Silone! Joannes! Silone! juvate!

Compedes Damœtæ parant injicere.

vate! prædones! prædones! *Satell.* 1. Noli ita clamare; vel nos auffugimus.

SCENA DECIMANONA.

Personis prioribus accedit Joannes.

Joan. Quid rerum agitur? *Damœt.* Abstrahere me volunt in vincula hi lictores. *Satell.* 1. Nos quidem non volumus, sed jubemur, inviti licèt. *Joan.* Joannem nunquid in vincula abstrahere jussi estis? *Satell.* 2. De quo quidem dolemus; sed debemus parere, aut pendere. *Joan.* Recede igitur, Damœta. Hic in me Joannem videtis. *Satell.* 1. Ergo tu Joannes? *Damœt.* Ita, ita, hic est Joannes, ego non sum; valete, valete. Deus me custodiat ab aula, his ductoribus adeunda.* *Joan.* Quid stupetis? optata diu vincula cupienti injicite; ero in vinculis solutus magis, qui eram hactenus vox clamantis in deserto, clamabo jam in urbe, & aula ipsa, & inter catenarum strepitus liberiore voce Herodiana crimina exagitabo. *Satell.* 2. Est, est hic Joannes zelo plenus. *Joan.* Quid hæretis igitur? membra ad compedes, cervix ad ferrum patent. *Satell.* 1. Sed ægrè non feras, nec impietatis nos arguas. *Satell.* 2. Exo-

* *Abit Damœtas.*

sculari hos pedes mallem, quàm vinculis stringere, sed - -

SCENA ULTIMA.

Personæ, quæ priùs, his accedunt Silonus, Tribunus, duo milites.

Trib. Arma! arma focii! Virum sanctum defendimus. *Duo milites ad satellites.* Sistite! aut - *Satell. 1.* Pace nostra, si vi nos prohibetis, sumus legitimè excusati. *Sat. 2.* Abeamus igitur. *Joan.* Imò sistite, & Regis vestri imperia explete. Vos verò, * amici, quid agitis? *Trib.* A vinculis, & mortis discrimine te retrahimus. *Joan.* Et à votorum meta. Non amicum, sed hostem meum pronuntio, quisquis cupita dudum vincula voluerit impedire. Manus itaque, obsecro, cohibete. Vos verò * ducite volentem, vel sequamini præeuntem. * *Mil. 1.* Quid agimus? patimur illum abduci ad carceres? *Mil. 2.* Sanguinem potiùs pro illo dabimus. *Trib.* Propheta est, futura prævidet, sciet, quid sibi conducat, jubenti obsequamur. *Silon.* Ego verò Joannem sequor, usque ad carceres, usque ad mortem.

* *Ad milites.*

* *Ad satellites.*

O. A. M. D. G.

TON-

TONSIASTRUS.
EXERCITIUM SCHOLASTICUM IN RHETORICA.





PERSONÆ.

Tonſiaſtrus, *Caupo.*

Dromulus, *puer Cellarius.*

Staſimus, *Famulus Domeſticus.*

Syntapſius Blictri, }
Calepodius, } *Studioſi, & Muſici pauperes.*
Mirmillus, }

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

Tonsiastrus. Dromulus.

Tonsiast. DRomule! Dromule! nulli-ne hospites adsunt? *Drom.* nulli, nec, ùt credo, ulli advenient. *Tons.* Et cur nulli? *Drom.* Quæris? quis divertet ad cauponam tuam, vel potiùs lanienam? *Tons.* Lanienam? *Drom.* Ita certè. Passim e-nim non cauponem, sed lanionem te vo-cant omnes rustici, quorum marsupia evi-scerâsti. *Tons.* Rustici sunt rustici, quos pa-rùmcuro: alios exspecto hospites, quibus pinguior est crumena. *Drom.* Frustra, credo, exspectas, nemo huc divertet, nemo. *Tons.* Eò meliùs. *Drom.* Eò me-liùs? *Tons.* Ita. Sic enim quietus hosce li-bros evolvam, unde plus lucri, quàm ex rusticorum marsupiis spero. *Drom.* At quinam, obsecro, hi libri, quibus jam ab octiduo incumbis, ùt gallina ovis? *Tons.* Libri sunt pretiosissimi, quos nu-per studiosorum quidam, cùm non ha-beret unde symbolam persolveret, pi-

Sedet Tonsiastrus ad mensam inter libros. Dato campanulæ signo advolat Dromulus.

 gnoris

gnoris loco deposuit. Hic nempe est Magister T. Cicero, & hoc est compendium eloquentiæ. *Drom.* Cicero, & compendium eloquentiæ, quid hæc ad cauponem? an intelligis, quod legis? *Tonf.* Mirabilis quæstio, quinque olim annos integros in Gymnasio Gramaticæ impendi, & non intelligam Ciceronem, aut compendium eloquentiæ? exspecta. Ostendam, quantùm ex lectione hujus libri paucos intra dies profecerim. Audi Periodum, quam herì non sine magno labore consarcinavi. *Drom.* Quid est Periodus? *Tonf.* Audies in exemplo. *Legit: Quamquam ego Tonfiastrus plurium jam annorum curriculo artem hydraulicam non infeliciter exercuerim. Drom.* Quid est ars hydraulica? *Tonf.* Est ars dirigendi aquas.. *Drom.* In cellam nempe, & mutandi in vinum, nunquid? *Tonf.* Attende modò. *Quamquam ego Tonfiastrus plurium jam annorum curriculo artem hydraulicam non infeliciter exercuerim, & in emungendis hospitum marsupiis profectum fecerim non pœnitendum*, (est primum membrum) *majoris tamen bonoris, & lucri consequendi gratia ad eloquentiæ studium ea ingenii felicitate*

(jam

(jam sequuntur incisa) *ea judicii maturitate, ea diligentiæ assiduitate incubui*, (est secundum membrum) *ut Rhetoricæ præcepta omnia, spissa licèt, & difficillima paucorum dierum spatio, uno quasi tractu, exhauserim.* Quid ad hanc Periodum, Dromule? *Drom.* Rapior in stuporem. *Jonf.* Nunquid? *Drom.* Sed nempe ex libro hoc Periodum descripsisti? *Tonf.* Non, non descripsi, sed tantùm composui ad imitationem. *Drom.* Here, si ita pergas proficere, brevì eris alius Magister Cicero. *Tonf.* Nostíne, quis fuerit Cicero? *Drom.* Ut credo, fuerit Ludimagister alicubi. *Jonf.* Non, non Ludimagister tantùm, sed summus Romæ Consul, quam dignitatem suâ eloquentiâ est consecutus. *Drom.* Nunquid & tu per Rhetoricam consulatum quæris in pago nostro? *Tonf.* Divinâsti. Hoc ipsum est, Dromule, quod adeò ad eloquentiæ studium in hac demum ætate animum accendit. Sed recede modò, & meis me studiis relinque. Nisi enim venturi fors hospites me impediant, Rhetoricam adhuc hodie absolvam. *Drom.* Here, ne te impediant hospites, & à nobilissimo studio abstrahant curæ domesticæ, suaserim, mihi cellæ vinariæ, Stasimo cu-

linæ claves committas. Nos duo rem œconomicam strenuè curabimus. *Tonſ.* Ita, ita, vos duo eſſetis egregii œconomi, brevì nil ampliùs nec in culina, nec cella ſupereſſet. Facereris nunquid figuram *Communicationis*? recede, & ubi hoſpites venerint, me mone.

SCENA SECUNDA.

Tonſiaſtrus ſolus.

Legit. De Tropis. - Tropi ſunt undecim. In uno verbo ſeptem, in pluribus quatuor. Eſt mirabile. Septem in uno verbo, in pluribus tantùm quatuor? hoc nondum capio. *Pergit legere. Metaphora. Synecdoche, Metonymia, Anto - Antonomaſia, Ono - onos - onomatopæia.*

SCENA TERTIA.

Tonſiaſtrus. Staſimus.

Staſim. Here, adeſt piſtoris puer, pecunias exigit pro panibus priori menſe cauponæ noſtræ illatis, & necdum ſolutis.

Tonſ.

Tonf. pergit legere. Ironia, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole. *Staf.* Here, pecunias pro panibus. *Tonf.* Stupor, non vides me studiis penitus immersum? *Pergit legere. Metaphora, Synecdoche* - *Staf.* Exspectat pistoris puer quinque florenos pro panibus. *Tonf.* Apage, inquam, aut faciam te *metaphoram, inanimatum ex animato.* *Staf.* Ergo non solves? *Tonf.* Ergo non tacebis? *Staf.* Certè debes quinque florenos - *Tonf.* * Catachresis, hyperbaton, hyperbole! - iste stupor vix non bilem mihi movit, tam importunè à nobilissimo studio abstrahere me tentavit; sed præstat motos componere fluctus, filum resummo. Tu apage. ** Aut - - **

** *Clauditur in medio.*

* *Tonsastrus hæc iratus pronuntiat, & arreptâ scutica expellit Stasimum.*

SCENA QUARTA.

Stasimus. Dromulus.

Staf. Dromule! Dromule! scisne aliquid novi? *Drom.* Quid illud? *Staf.* Caupo noster totus desipit. *Drom.* Hoc nihil novi. *Staf.* Chaldaica, vel Hebraica, vel omnino magica verba, nescio ex quo libro, identidem immurmurat. *Drom.* Nempe totus

est

est in studiis, brevì Doctor, & pagi nostri Consul futurus. *Staſ.* Est sanè aptus ad studia, ùt asinus ad lyram, penè dixissem, ùt ego. *Drom.* De his nolim tecum contendere. Cæterùm nos, si sapimus, Stasime, hunc studiorum pruritum in caupone nostro pro viribus foveamus. *Staſ.* Cur? ut illum omnino ad insaniam redigamus? *Drom.* Ut nos dapiliter vivamus. Studiorum enim amore detentus cellæ vinariæ claves mihi, tibi culinæ & rei œconomicæ curam committet. *Staſ.* O utinam! nos duo - sed quid hoc?

* *Intra scenam auditur Symphonia, & cantatur à tribus vel quatuor studiosis.*

Es lebe der Herr Würth!
Der so hoch gestudiert/
Er ist fürwahr ein glehrter Mann/
Der Wein aus Wasser machen kan.
Es lebe der Herr Würth!

* *Dum cantatur, abit Dromulus visurus, quis adsit. Remanet Stasimus.*

SCENA QUINTA.

Tonsiastrus. Stasimus.

Tonsiast. Stasime! Stasime! quis ad fores cantat? *Staſ.* Sunt, ùt credo, pauperes Musici, stipem exspectant. *Tonſ.* Sti-

Stipitem, non stipem merentur; citò fac abeant. * *Tonsiastrus solus. Stipitem*, non *stipem*. Ecce feci *paronomasiam* ex tempore. **

Es lebe der Herr Würth!
Der seine Gäst braff schniert;
Leert ihre Seckel redlich aus /
Damit sie kommen ring nach Hauß.
Es lebe der Herr Würth!

Tonsiast. * Helff GOtt! - non sum domi, non sum domi. Stasime! Dromule!

Discedit Stasimus.

** *Iterum cantatur intra scenam.*

* *Manu fenestras percutit.*

SCENA SEXTA.

Tonsiastrus. Dromulus.

Drom. * Adhuc unam stropham! adhuc unam -- *Tons.* ** Adhuc unam, adhuc unam! flagrio! tune mendicos ad domum meam allicere? *Drom.* Here, non sunt mendici, sunt Domini Studiosi. *Tons.* Studiosi sunt? explora, an ita. *Drom.* Jam exploravi, & ex iis quæsivi, an non sitiant, velléntque in caupona nostra egregiè potare, commessare, & læta hilaria celebrare. *Tons.* Quid respsonderunt? *Drom.* Omnino, hoc illis uni-

* *Prope scenam ad Musicos foris adhuc stantes.*

** *Tonsiastrus geminam alapam impingit Dromulo.*

unicè in votis esse. *Tons.* Fac ergo ingrediantur. * Ego interim cubiculum instruo. Sunt equidem importuni nonnihil hi hospites, dum me à studiis meis avocant, sed solvent, solvent hoc lucrum cessans.

* *Abit Dromulus.*

SCENA SEPTIMA.

Dromulus. Syntapsius. Calepodius. Mirmillus.

Drom. - Placeat intrare,Domini Studiosi ! stipem pro Musica recipietis liberalem. *Synt.* Congiô vini contenti erimus. *Calepod.* Vel etiam nigrâ cerevisiâ. *Mirm.* Plura non postulamus ; oblata non recusamus. *Drom.* Monitos tamen velim, ut periodicè, si nôstis, cauponem salutetis. *Cal.* Cur periodicè? intelligítne caupo periodos? *Drom.* utique: quod Romæ in rostris Cicero, hoc in pago nostro, & rastris est herus meus, eloquentiæ portentum. *Synt.* Ergo erit fautor studiosorum? *Calepod.* Præsertim Rhetorum? *Drom.* Quàm maximè. Sed en! *Synt.* Saluta illum,Mirmille! *Mirm.* Calepodius salutet. Rhetor est.

SCENA OCTAVA.

Personæ, quæ priùs, accedit Tonsiastrus.

Calepod. Quamquam novercantis fortunæ invidia in diuturno, Pragâ scilicet ad has usque oras deducto itinere, patientiam nostram diu, multúmque exercuerit; hodierna tamen luce benigniore oculorum obtutu nos tandem respexisse videtur, dum ad tantæ humanitatis hospitem nos deduxit, qui, ùt buccinatrix fama ad aurium nostrarum fines detulit, non modò Musas omnes in intimum cerebri sui conclave, velut gratissimum hospitium, dudum recepit, sed etiam Musarum alumnos omnes amplissimis favorum suorum brachiis nunquam non constringendos sibi existimavit.

Tons. * Quamquam conspectus vester mihi semper multò jucundissimus, hic autem locus ad saltandum amplissimus, ad bibendum opportunissimus semper est visus, Domini Studiosi, tamen hoc lætitiæ aditu, qui semper sitibundo cuique maximè patuit, non vestra, ùt credo, vos voluntas, sed rigorosæ nimiùm leges,

* *Tonsiastrus pronuntiat graviter Periodum, quam descriptam habet pileolo domestico insertam; & identidem inspicit.*

ges, scholasticæ juventuti positæ prohibuerunt. *Synt.* Non leges Gymnasticæ, sed pecuniarum penur - - *Tons.* Nam cùm hactenus per Majorum imperia hujus loci hilaritatem attingere non auderetis, crederetísque, neminem, nisi confectô studiorum curriculô cauponam accedere oportere, omne tempus vestrum intra privatos parietes volvendis libris transmittendum putâstis. Interea tamen hic locus vacuus nunquam fuit ab iis, qui vestram absentiam supplerent, & meus labor in emungendis rusticorum marsupiis castè, integréque versatus, fructum non mediocrem est consecutus. *Calepod.* A nostris tamen marsupiis - - *Drom.* Obsecro, ne interpoletis orationem. *Tons.* Ubi cessavi, Dromule, quod fuit ultimum verbum? *Drom. Est consecutus.* *Tons.* Nunc verò, cùm tantum authoritatis in vobis sit, quantum ipsi, contemptîs generosè legibûs, inesse voluistis, & in me facultatis tantum, quantum homini vigilanti quotidiana hospites tractandi exercitatio potuit afferre, certè, si quid hac in re consequi possum, iis ostendam potissimùm, qui cauponam meam præ tot aliis suâ præsentiâ condecorandam esse censuerunt. Atque illud inprimis mihi jure lætandum esse video, quòd ho-

dierna luce talis mihi occasio * est oblata, in qua industria deesse nemini possit. Excipiendi enim convivio sunt hospites eximia singularísque doctrina. Hujus autem convivii facilius erit exitum, quàm principium invenire. Itaque mihi non tam copia, quàm modus ciborum quærendus est. Atque ut ibi desinat, unde profecta est hæc oratio, placeat intrare, Domini Studiosi. Tu verò, Stasime! Stasime * dormientem in cinerum lectulo Vulcanum admoto follium clamore excita. Tu verò, Dromule, Bacchum Austriacum, ex dolii carcere solutum, laxatis habenis emitte. Ego verò inter pinguescentis culinæ tesqua, inter gallorum gallinaceorum castra, inter anatum anserúmque portus aquaticos opportunam famelicis ventribus prædam indago. *Drom.* Ergò claves ad cellam vinariam. *Tonf.* Statim, priùs tamen amantissimi hospites intra dealbatos hypocausti parietes deducantor.

* *Ille advocat Stasimus, & mox iterum discedit.*

SCENA NONA.

Dromulus. Syntapsius. Calepodius. Mirmillus.

Syntapf. Desipiam ego, si caupo hic sapiat. *Drom.* Sapiat, vel desipiat, mo-

dò vobis apponat, quæ ſapiant fercula. *Calepod.* Et nullam petat ſymbolam. *Mirmill.* In hoc eſt punctum difficultatis. Audi, Dromule, credit fors caupo, noſtro nos ære pranſuros? *Synt.* Certè nec obolum habemus, diabolô pauperiores. *Calepod.* Stipem hinc inde Muſicâ honeſtè quærimus. *Drôm.* Ponite corde metum, Domini, ſecludite curas. Gratis hodie prandebitis, & ſi mea velitis ſequi conſilia, lautiſſimè. *Synt.* Quid ergo ſuades? *Drom.* Primò, ut nullam omnino de pecuniarum penuria mentionem faciatis, *Calepod.* Et cur non? Ideo, quia: plura pandam in tempore. Interea hîc quieſcite, & famem, ſitímque tantiſper fidibus ſuſpendite.

SCENA DECIMA.

Dromulus ſolus.

Euge Dromule! præter ſpem omnem arridet fortuna. Adſunt jam choraulæ, lautum inſtruitur convivium. Læta hæc fluet dies. Sed qualis ſequetur veſpera? quis ſolvet ſymbolam? hæ nempe ſcapulæ meæ. Sed quid inde? ſæpius vapulo minorî pretiô, dies integra hilariter traducta meretur quadrante triſtiore

emi.

emi. Aude aliquid brevibus gyaris, & carcere dignum. *

* *Interiùs fidibus canunt studiosi, Dromulus foris saltat, & canit.*

Wann schon der Vatter greint /
Wann schon die Mutter weint /
Was achts ein braffer Bue /
Er lacht / er lacht darzue.
Ich machs wie ein Student /
Wann man mir schon einbrennt /
Bleib doch ein braffer Bue /
Und lach / und lach darzue.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

Tonsiastrus. Dromulus.

* *Tonsiast.* DRomule, Dromule! quid de me dicunt studiosi? *Drom.* Tuam mirantur eloquentiam. *Tons.* magis mirabuntur meam in ponenda symbola industriam. Egregiè excutiam illorum loculos Rhetoricos. Ponam illis symbolam per *figuram additionis*, per *replicationem*, & *condupplicationem*, er *hyper bolen.* *Drom.* Quid est hyperbole? *Tons.* *Est ementiens superjectio*,

* *Prodit Tonsiastrus, ferens cerbit.*

cùm res nimiùm augetur. Tu interim hæc ad culinam. Splendidè hodie tractabo ſtudioſos, &, ut literatos decet, tropicè, & figuratè. *Drom.* Sine, videam. Quid hoc? caro ſuilla? an non habes aprinam, vel cervinam? *Tonſ.* Eſt idem, domeſticus ſus pro quovis etiam ſylveſtri, eſt *metonymia.* *Drom.* Et quales hæ volucres? paſſeres apponis? cur non turdos, aut merulas? aut ſaltem alaudas? *Tonſ.* Eſt iterum *metonymia: certum pro incerto:* paſſeres pro turdis, vel alaudis. *Drom.* Deinde jam vermibus ſcatent hæ aves, totæ jam animatæ. *Tonſ.* Eò meliùs, eſt *metaphora, cùm ponitur animatum pro inanimato.* *Drom.* Et hi cancri jam putreſcentes, & dudum exanimes? *Tonſ.* Eſt iterum alius modus metaphoræ, *cùm ponitur inanimatum pro animato.* En! jam Dromule, quantùm etiam rei œconomicæ proſit Rhetorica, cujus beneficio ſues pro apris, paſſeres pro turdis, aves vermibus ſcatentes, & cancros dudum exanimes doctorum menſis cum honore inferimus. *Drom.* Mallem ego prandere cum ruſticis, quàm ita cum doctis. An aliud nihil appones? *Tonſ.* Exempli gratia? *Drom.* Exempli gratia gallum Indicum. *Tonſ.* Vel gallum gallinaceum; eſſet iterum tropus. *Drom.*

Vel

Vel pullos bene fartos, aut saltem anseres, & anates. *Tons.* Scis utique, & pullos & anseres nupera nocte vulpem abstulisse. Ita saltem tu mihi. *Drom.* Est verissimum, non recordabar. *Tons.* O si ego hanc vulpem! sed audi, Dromule, age, vide, vicino molitori aliquot anseres, vel anates subducas, quos studiosis apponam. *Drom.* Here, hoc non licet, est furtum. *Tons.* Non, non est furtum, sed tantùm *tropus*, sive *translatio è loco proprio in alienum.* *Drom.* Sed si molitor me deprehenderet, & traderet Judici, & Judex me lictori, & lictor patibulo, esset etiam tropus nunquid? *Tons.* Imò esset figura *suspensionis*, & *gradationis.* Sed ne metuas, es adhuc parvus nimiùm pro patibulo. *Drom.* Imo parvi tantùm fures suspenduntur, magni dimittuntur. *Tons.* Stude ergo, ut fias magnus fur. Deinde si molitor fortè inquirat in anseres perditos, dic, vulpem, quæ nuper meam, hodie etiam molitoris cortem expilâsse. *Drom.* Hoc etiam non licet, est mendacium. *Tons.* Non est mendacium, sed tantùm *allegoria.* *Drom.* Quid est Allegoria? *Tons.* Est figura, & ornatus orationis, *cùm aliud verbis, aliud sensu ostenditur.* *Drom.* Ergo mendacium est ornatus? *Tons.* Ita, apud

Rhetores eruditos - ſed vade modò, & vide, ut hæc ſaltem bene condiantur. Ego ſtudioſos reviſo.

SCENA SECUNDA.

Tonſiaſtrus. Syntapſtus. Calepodius. Mirmillus.

Tonſ. Paululum patientiæ, Domini Studioſi, in Momento paratum erit prandium. *Synt.* Nimiùm noſtrâ causâ Dominus Mœcenas occupatur. *Tonſ.* Ignoſcite, non vocor Mœcenas, ſed Tonſiaſtrus. *Calepod.* Si Toriſiaſtri nomen vel naſcendi conditio, vel parentum voluntas tibi impoſuit, ea certè, qua literatos amplecteris, benevolentia glorioſum Mœcenatis nomen tibi præ reliquis tribuendum eſſe demonſtrat. *Tonſ.* Eſt periodus. Sed edicite, obſecro, an & vos omnes eſtis Rhetoricæ Studioſi? ſed reſpondete periodicè. Hoc enim dicendi genere apprimè delector. *Synt.* Ego equidem non modò vaſtiſſimos eloquencampos, & latas periodorum ambages indefeſſis diligentiæ meæ pedibus dudum percurri, ſed Stagiræum quoque Peripatum, & tot ſpinis licèt circumſepta Philo- ſophiæ

ſophiæ limina ea ingenii felicitate, dicam? an velocitate ſum emenſus, ut aſinorum ponte audacter ſuperato inter Philoſophiæ Baccalaureos non omnino ultimus meruerim renuntiari. *Tonſ.* Quid eſt Baccalaureus? *Synt.* Eſt Logices quaſi Doctor. *Tonſ.* Et quomodo vocatur excellentiſſima Dominatio ſua? *Synt.* Syntapſius Blictri. *Tonſ.* Eſt peregrinus hic Sanctus, non memini me legiſſe, vel audiſſe aliquid de Sancto Syntapſio. Ethic. Dominus, * eſtne etiam Baccalaureus, & Logices quaſi Doctor? *Calep.* Equidem & ego, poſtquam anno integro in Rhetoricæ palæſtra improbè deſudâram, relictis tandem humilioribus Muſarum callibus ad altiora ſeveriorum diſciplinarum culmina remigantibus ingenii alis evolare ſtatueram, ſed ſingularis Profeſſorum meorum in me cura nimium hunc ad altiora ſtudia pruritum coërcendum eſſe exiſtimavit. Nempe & Rhetorices honori, & meo profectui magis conſultum fore judicârunt, ſi alterum adhuc annum excolendæ eloquentiæ adjeciſſem. *Tonſ.* Ergo biennium Rhetoricæ impendis? quam ego intra biduum exhauſi. Sed quid hic Dominus? * *Mirm.* Evchariſticon, quod aſpirantibus Muſis modò concepi, tuis honoribus patere dedi-

* *Ad Calepodium.*

* *Ad Mirmillum.*

 cari.

*Offert Carmen.

cari. *Tonſ. Quid hoc? Eſtne Periodus quadrata? *Mirm.* Carmen eſt omni Periodo arte, & elegantia ſuperius. Placeat legere.

Tonſtaſtrus legit:

Vivat io pulcher vulṫV, dignus quoque culṫV
IncolumIsque DE Iconſumat vIna LyæI
Virat, & in ſenſV ſano, cum divite cenſV
Abſolv At duplici eretAfine sAecula lætA
Térque quater creſcaT per tempora longa vireſcaT

Hi verſus nunquid ſunt figura ſimiliter deſinens? *Mir.* Vocantur Leonini ab illorum inventore Leone. *Tonſ.* Leone? Ergo etiam leones poſſunt verſus facere? *Synt.* Si faciunt aſini, cur non & leones? *Tonſ.* Aſini faciunt verſus? *Cal.* Saltem tentant. *Mirm.* Leo, hoc eſt author, qui hoc artificium invenit, vocabatur Leo. *Tonſ.* Intelligo. Eſt *locus Rhetoricus à notatione nominis.* *Mirm.*

Ecce

Ecce initiales literæ conficiunt hoc verbum VIVAT. *Synt.* Etiam ultimæ dicunt VIVAT. *Cal.* Etiam mediæ, & transversæ. *Tonf. legit.* VIVAT, VIVAT, VIVAT, VIVAT, VIVAT. Hoc eſt aliquid prorſus ſtupore dignum. Et hoc I. A. I. A. eſt *onomatopœia* nunquid? ſive *fictio vocis* aſininæ JA. - JA. - *Mir.* Lege, & ſubjunctum chronologicon. *Tonf. legit.* IO VIVAT BIBATQVE DOMINVS TONSIASTRVS CAVPO. - Senſum hujus dicti jam capio; ſed artificium non capio. *Mirm.* Hoc nempe, ut dixi, eſt chronologicon, & numerus hujus anni per majores litteras denotatur. *Synt.* Ecce! M. denotat mille annos. *Calep.* Delta denotat quingentos, Cappa centum, Lambda quinquaginta. V quinque. Iota unum. *Tonf.* Latet hîc grandis nodus difficultatis.

SCENA TERTIA.

Perſonæ, quæ priùs, accedit Staſimus.

Staſ. Here! *Tonſ.* Quid eſt, Staſime, an excitâſti dormientem in cinerum lectulo Vulcanum? *Staſ.* Tota in culina nec Vulcanum, nec quemquam alium dormientem inveni, etſi inveniſſem, non

nôssem Vulcanum, quem nunquam vidi. *Tons.* O stuporem! ô stuporem! ne vos offendat, Domini Studiosi, hujus trunci stoliditas. Est nempe mediastinus tantùm, non intelligit tropos, ùt ego, docebo tamen breviter. Barde, quid intelligitur per *Vulcanum*, nisi *ignis?* est *Metonymia. In cinerum lectulo dormiens, est Allegoria.* Volebam ergo dicere: Stasime, ignem excita. *Staſ.* Si priùs ita dixisses, jam cœpissem, tropos autem non capio. *Tonſ.* Ego autem volo, ut capias. *Staſ.* Ego? *Tonſ.* Ita, tu. Volo enim, ut omnes domestici mei loquantur tropicè, vel periodicè, vel saltem figuratè. Abi ergo, & Vulcanum excita. *Staſ.* Jam excitavi ignem. *Tonſ.* Ergo porro age, ut hic vulcanus flammarum suarum brachiis excudat, hoc est, & volucrum rostra, & cancrorum caudas. *Staſ.* Tantùm rostra volucrum, & cancrorum caudas vis parari? *Tonſ.* Stupor! loquor iterum tropicè per *Synecdochen, cùm ponitur pars pro toto*; rostrum pro tota ave, cauda pro toto cancro. Nunquid, Domini Studiosi, hoc est Synecdoche? *Calep.* Et quidem admodum elegans. *Synt.* Talem nec Cicero invenit, etsi Oratorum Princeps. *Mirmill.* Nec Poëtarum Phœnix, Vir-

gilius

gilius. *Tonſ.* Audis, Staſime? ſed apage! nil agitur cum hoc ſtipite, ipſus culinam adibo. Valete interim, Domini Studioſi, valete. *Valete, Domini Studioſi, valete.* Iterum feci figuram ex tempore, & artificium ſimile huic carmini, *cùm verbum ponitur ab initio, & fine dictionis.*

SCENA QUARTA.

Tonſiaſtrus. Dromulus.

Drom. Here, detuli ad culinam, quæ juſſeras, nunc clavem ad cellam vinariam, ut Bacchum Auſtriacum laxatis habenis è dolii carcere emittam. *Tonſ.* Exſpecta tempus prandii. *Drom.* Studioſi non exſpectant tempus prandii, jam primo manè illis hauſtus ſapit. *Tonſ.* Quære ergo, an ſitiant. *Drom.* Non eſt dubium. *Tonſ.* Quære tamen, ut aſſueſcas figuræ *Interrogationis.* Sed priùs hoc carmen cauponæ poſtibus affige, ut curioſos lectores, & hoſpites attrahat. *Drom.* Quale hoc carmen? *Tonſ.* Aſininum-Leoninum volebam dicere, & miræ artis, à Studioſo meis honoribus dicatum. *Drom.* Quid verò tu reddes Studioſo pro tam ſublimi ingenii partu, tuis honori-

bus

bus dicato? *Tonſ.* Quid reddam? ubi omnes legerint, reddam ei carmen ſuum. *Drom.* Et nihil aliud? *Tonſ.* Quid ergo? *Drom.* Ab hoc certè Studioſo nullam ſymbolam debes exigere. *Tonſ.* Nullam ſymbolam? *Drom.* Niſi in omnes humanitatis leges graviſſimè velis peccare. *Tonſ.* Quid ego curo leges humanitatis, Rhetor ſum, non Humaniſta. *Drom.* Sed nemo te Rhetorem credet, ſi Humanitatis leges videaris ignorare. Nunquid enim Humanitas præſupponitur ad Rhetoricam? *Tonſ.* Argutè diſſeris, eſt argumentum ab *Antecedentibus ad conſequentia.* Sit ergo: dicam, me ab hoc Studioſo, qui carmen meis honoribus obtulit, ſymbolam nullam exigere; ſed duobus reliquis ponam eò majorem.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

Dromulus. Syntapſius. Calepodius. Mirmillus.

Synt. DRomule! Dromule! necdum affers hauſtum? *Calepod.* Vix ſitim ultra ferimus, pumice ſicciores. *Drom.* Statim, ſtatim afferet caupo; interim opportunè omnino hoc illi carmen obtu-

obtuliſtis. *Mirmill.* An placuit? *Drom.* Mirum in modum. An non plura vobis ſunt ejusmodi carmina? *Mirmill.* Sunt utique varia, quibus ſtipem ſolemus à literatis emendicare. *Calep.* Me verò gravior urget cura. Quid ſi ſymbolam pro prandio peteret caupo? mihi certè res oppidò eſt ſuſpecta; nec cibum, nec potum capiam, donec hic ſcrupulus eximatur. *Drom.* O vos timidos, & ſine cauſa ſollicitos! mihi fidem habete, gratìs hodie prandebitis, & lautiſſimè, modò veſtrûm quilibet carmen ingenioſum cauponi offerat. *Calepod.* Fortè non diſpliceret Rhytmicum, & nî fallor, ad genium Tonſiaſtri compoſitum, de Rhetorica per quinque Vocales. *Drom.* Fac, audiam. *Calep.* Præcinam ego, vos ſequamini.

Canunt. A. A. A.
Procul Rhetorica!
Meliùs inter pocula
Diſcitur Eloquentia.
A. A. A.
Procul Rhetorica!
E. E. E.
Figuræ cedite!
Calices, & amphoræ
Noſtræ ſunt Metaphoræ.

E. E.

E. E. E.
Figuræ cedite!
I. I. I.
Loci Rhetorici.
Cellæ Agni candidi
Plenæ vinô veterî
Hi, hi, hi
Loci sunt Rhetorici.
O. O. O.
Nil de Periodo.
Fluida Oratio
Funditur è dolio.
O. O. O.
Nil de Periodo.
U. U. U.
Clamemus: Ju! Ju! Ju!
Is est Rhetor optimus,
Qui est rarò sobrius
U. U. U.
Clamemus: Ju! Ju! Ju!

Drom. Bellum est hoc carmen; sed mensæ reservandum. *Mirmill.* Ergo alia seligamus. *Synt.* Excutiam & ego sarcinulam meam. *

* *Discedit non nihil Syntapsius.*

SCENA

SCENA SECUNDA.

Tonsiastrus. Dromulus. Calepodius. Mirmillus.

Tonf. * Quinque, & decem, funt quindecim. Quindecim, & iterum bis quinque funt viginti quinque. *Calepod.* Quid hoc, Dromule? jam ponit nobis fymbolam? *Tonf.* Jam quinquaginta, & centum, funt centum quinquaginta. *Mirmill.* Heu nos! *Tonf.* Jam iterum quinquaginta - Summa Summarum - - En Domini Studiofi! Chronologicon, quod ego extempore confarcinavi. legite. *Calep.* Refpiro. *Mir.* Et ego. *Tonf.* Legite, vel ego prælegam. *Legit*, DOMINI STUDIOSI CHARISSIMI, LÆTI, HILARESQVE VIVANT, BIBANTQVE STRENVE. Io. Io. Io. *Caleped.* Ingeniosè. *Mir.* Nimium tamen numerum hæ literæ conficiunt, *Tonf.* Cur nimium? *Mir.* Ecce! hæc verba: *Domini ftudiofi*, jam denotant plus quàm duo annorum millia. Duplex My, & duplex Delta. *Tonf.* Non, non fic debet legi; fed eæ tantùm literæ numerandæ, quas majori charactere ego notavi. *Calep.* Sed hoc non eft artis. *Tonf.* Ergo aliud ex arte confi-

* Manu tenet tabellam numeram, altera creta, qua fcribit, &c.


conficiam. *Drom.* Here, poſt prandium, here, poſt prandium faciemus omnes Chronologica, nunc urgendum eſt prandium, aut ſaltem afferendus hauſtus. *Tonſ.* An jubetis vinum, Domini Studioſi, & quale illud? *Calep.* Nihil jubemus: Domini Mœcenatis arbitrio, & liberalitati omnia committimus. *Tonſ.* Utinam vinorum fortium, atque præſtantium eam copiam haberemus, ut hæc nobis deliberatio difficilis eſſet, quodnam potiſſimum tantis hoſpitibus apponendum putaremus. Nunc verò, cùm unus ſit Bacchus Auſtriacus, qui non eorum modò liquorum, qui nunc ſunt, ſed etiam eorum omnium, qui in cella mea unquam fuerunt, præſtantiam ſua virtute ſuperet, quæ res eſt, quæ cujusquam animum hac in re dubium facere poſſit? *Drom.* Bene, afferamus ergo Bacchum Auſtriacum. *Tonſ.* Ita, abi ergo, & *cryſtallum* lava, hoc eſt, vitra cryſtallina, eſt *Synecdoche*, *cùm ponitur materia pro re.* Affer & candidam *Cererem*, id eſt, panem; eſt *Metonymia.* Citò, citiùs, citiſſimè, eſt *Gradatio.* *Calepod.* Ut audimus, omnia per tropos explicas. *Tonſ.* Nempe doctum, qualis ego ſum, & apud doctos, non decet loqui, niſi tropicè, vel figuratè, vel ſaltem periodicè.

SCE-

SCENA TERTIA.

Tonsiastrus. Syntapsius. Calepodius. Mirmillus.

Syntaps. Cùm rumor nequaquam obscurus ad aures nostras detulerit, quanta benevolentia oblatum tuis honoribus carmen exceperis, non exiguam apud tantum Mœcenatem gratiam nos inituros putavimus, si aliud præterea reconditæ eruditionis genus ex intimo Musarum sacrario, & doctissimæ antiquitatis ruderibus erutum, utpote gratissimum ingenio tuo pabulum objiciamus. *Tons.* Quid ergo hoc? *Synt.* Hieroglyphicum dicitur, Ægyptiis olim perquam familiare. Certa sub his picturis verba, & integrum distichon deprehendet, qui artem sublimioris Poëseos callet. *Tons.* Ego nec verbulum deprehendo. Ubi mea perspicilia? *Synt.* Non oculòrum, sed ingenii acies hìc acuenda- *Tons.* Credo artificiosum esse hieregisplicum, sed planè non intelligo.



SCENA QUARTA.

Personæ, quæ priùs, accedit Dromulus.

*Escena cum vitris prorum pens labitur, franguntur vitra.

** Minatur scutica.

*Drom.** Aj! aj! aj! *Tonſ.* Quid hoc? *Drom.* Nihil, nihil. Tantùm feci figuram, *ſimiliter cadens. Tonſ.*** Ego autem faciam *ſimiliter deſinens* in tergum tuum. *Drom.* Ne indigneris, Here, ſtatim afferam aliam cryſtallum. *Tonſ.* Ergo citò. Sed priùs, quantùm tibi debeo pro ſalario hujus menſis? *Drom.* Septem denarios. *Tonſ.* Ergo adhuc debeo duos. Quinque deleamus pro fractis vitris. Eſt figura *per detractionem.* Nos interim pergamus in enucleando hieregyſplico. Quod nondum intelligo. Rhetor enim ſum, non Poëta - utut pariter vellem eſſe. Poſſémne brevì Poëta fieri?

Calepod. Non eſt cujusvis adire Corynthum. -

Qui niſi Caſtaliis madefactus guttura lymphis,

Doctáque fatidico percuſſus tempora thyrſo

Tentat Apollineas audax ſcrutarier artes,

Incaſſum perdit vires, nil Pallade dignum

Vena

Vena dabit. Siccis hærebunt carmina labris.
Scilicet ingenium, multa pinguedine crassum,
Nescit subtiles Pindi penetrare recessus
Infelix, & docta nimis mysteria vatum
Somnia censebit, natásque in fronte chymeras.
Tingenda assiduè clari sunt ora Poëtæ,
Et totum Aönio mergendum flumine pectus.

Tonsiast. Ergo ex flumine haurire oportet artem Poëticam?

Synt. Fallere. Non quævis doctos facit unda Poëtas.
Quin vatum enervat vires, & pectora tristis
Potus aquæ, stringítque mala raucedine fauces.
Una hæc Castaliæ concessa est gratia Lymphæ
Huic uni tantas humana in pectora vires
Concessêre Dii: facit hæc potata Poëtas.

Tons. Bene, & ego potando Poëta fiam. Dromule! Stasime! citò afferte mihi aquam ex fonte Castalio. *Drom.* Ubi est hic fons Castalius?

Calepod. Non quævis tam sacra Diis fert flumina tellus.

Una Aganipæum profundit Græcia fontem,
Græcia fœcundis ſemper lætiſſima Muſis.

Tonſ. Ergo affer ex Græcia. Citò. *Mirmill.* Si Pegaſi alas haberet Dromulus, afferre fors poſſet. *Tonſ.* An procul hinc diſtat Græcia? *Synt.* Toto mari à nobis diſſita. *Tonſ.* Unde ergo vos aquam Caſtaliam? an aliquando fuiſtis in Græcia? *Calepod.* Diu utique græcati ſumus. *Tonſ.* An nihil vobis ſupereſt de aqua Caſtalia? nihil tam pretioſi liquoris vobiſcum ex Græcia exportâſtis? *Drom.* Ah Here! quid modò de aquis? vinum non aquam exſpectant Domini Studioſi, diu jam ſitibundi. *Tonſ.* Afferam ergo, afferam. - Sed nunquid, Domini Studioſi, *licentia* eſt figura Rhetoricæ? *Calepod.* Omnino. *Tonſ.* Per licentiam tantùm verbulum Dromulo ſoli.

SCENA QUINTA.

Tonſiaſtrus. Dromulus.

Tonſiaſt. Nunquid, Dromule, eruditi ſunt hi Studioſi? Poëtæ ſunt, & Rhetores, unus eorum etiam Baccalaureus, & Logices quaſi Doctor. *Drom.*

Hinc

Hinc singularem à te favorem, & liberalitatem merentur. *Tons.* Lucrarentur sibi favorem meum, si ex aqua Castalia aliquid mihi offerrent, ut pariter, & absque labore Poëta efficiar. Insinuare hoc poteris studiosis. *Drom.* Sed quid rependes pro aqua Castalia? gratìs certè non dabunt liquorem tam pretiosum. *Tons.* An ergo aquam debebo emere? *Drom.* Etiam tu aquam hospitibus vendis, quod vino & cerevisiæ affundis, etsi proximo ex fonte haustam. Quanto meliori jure Studiosi pro aqua Castalia, ex Græcia usque allata, pretium ídque non tenue sibi persolvi postulabunt? *Tons.* Est argumentum à comparatione. *A minori ad majus.* *Drom.* Si vinum, & prandium Studiosis gratìs apponendum promitteres, facilè forsan liquorem Castalium ab iis eliceres. *Tons.* Vinum & prandium gratìs? meâ vitâ nihil ulli gratìs apposui. *Drom.* Nec hodie gratìs quidquam facies, pro vino enim, quod gratìs te dices apponere, pretium liberale recipies, aquam Castaliam. *Tons.* Liberale pretium; aquam pro vino! Est quidem *Commutatio* etiam figura Rhetoricæ, mihi tamen non satìs placet. *Drom.* Hæc verò commutatio tibi omnino deberet placere, quia utilissima. Quot

 enim

enim sumptus non olim impendisti, quot molestias non pertulisti, quos labores non exantlâsti, dum triennio integro in Gymnasio olim desudâsti, ut prima duntaxat litterarum elementa cerebro tuo imprimeres? nunc verò, cùm ea tibi sit oblata occasio, ut nôn infima latinæ linguæ principia, sed intima sublimioris Poëseos arcana, uno tractu possis haurire, an dubitabis tantillo impendio, unico nempe prandio artium præstantissimam tibimet comparare? *Tons.* Dicis aliquid. Persuasisti. Poteris ergo promittere, studiosum illum, qui aquam mihi Castaliam obtulerit, hodie fore assymbolum, & gratis pransurum. *Drom.* Ergo possum hoc promittere? *Tons.* Potes. *Drom.* Et certò? *Tons.* Promitte certò. * Ego tamen non teneor stare promissis à famulo. *Dromulus solus.* Euge Dromule! favet ultra votum fortuna, Solutæ jam metu sunt tuæ scapulæ, symbolam solvet cauponis stultitia.

* *Abit Tonsiastrus.*



ACTUS

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

Dromulus. Syntapsius. Calepodius. Mirmillus.

Synt. Quid est, Dromule? afférsne tandem haustum? *Drom.* Hunc Herus afferet. Ego interim nuntium fero vobis lætissimum; certam nempe de prandio gratìs apponendo securitatem. Vino abundabitis hodiè, si pauxillum Hero meo ex aqua Castalia offeratis. *Calepod.* Unde nos aquam Castaliam? *Drom.* Utique Poëtæ estis, & potando tales effecti? *Mirmill.* An & tu desipis, Dromule, æquè, ac Herus tuus? an seriò credis, potando Poëtas fieri? *Drom.* Tamen dixistis ipsi. *Calepod.* Sunt hæ tantùm phrases, & fictiones Poëticæ. *Drom.* Bene; ergò saltem prosequamini hanc, fictionem, quam caupo meram credit historiam, & si aquam Castaliam non habeatis, saltem talem vos habere fingite. *Synt.* Cur verò istud? *Drom.* Quia hanc avidissimè exspectat Herus meus. Credit nempe ex ejus haustu se Poëtam futurum. Agite ergo, vasculum hoc fonta-

nâ implete, quam Castaliam nominabitis. *Mirmill.* Obsequor consilio. *Calepod.* Sed si fraudem advertat caupo? *Synt.* An non sentiet sibi illudi? *Drom.* Quid sentiet mortalium simplicissimus, tam inops nempe cerebri, quàm dives auri, tam literarum incapax, quàm avidus, tantóque ineptior, quantò sibi videtur doctior. *Calepod.* Bella antithesis! *Drom.* Verbo dicam, Tonsiastrus omnis stultitiæ compendium est.

SCENA SECUNDA.

Personæ, quæ priùs, accedit Tonsiastrus, ferens mantilia, & cultros &c.

Tons. Quid ais, puer? quis compendium stultitiæ? *Drom.* Stasimus; de Stasimo loquebamur. *Tons.* De Stasimo? compendium nequitiæ! nunquid de me tu ista? nunquid de me tu ista? audivi utique. *Synt.* Etiam de te hoc dixit, sed tantùm per *Ironiam.* *Tons.* Quid est *Ironia?* *Synt.* Scis utique. *Ironia est, quæ aliud verbis, aliud & quidem contrarium sensu ostendit.* *Drom.* Ita, dum ergo dicebam te compendium esse stultitiæ, volebam dicere te compendium sapientiæ. *Calep.* Omnino, hæc est Ironia. *Tons.* Audi, Dromule, nolo, imposterum de me loquaris ironicè; non

enim

enim omnes intelligunt tropos, & crederent forsan te seriò loqui. Sed jam faciamus *exordium*, & *dispositionem* pro mensa, juva, Dromule. *

* *Sternunt mensas.*

SCENA TERTIA.

Personis prioribus accedit Mirmillus.

Mirmill. Domine Mœcenas! munus affero indoctis quidem, & rudibus contemptum, doctis verò, & eruditis, qualem in te suspicimus, præ omni auro æstimandum. Divinum nempe liquorem, cujus vim humanâ longè majorem soli Poëtæ æstimare nôrunt, & celebrare. *Tons.* Estne hæc aqua Castalia? *Mirmill.* Et quidem ex prima Aganipidos scaturigine, singulari Musarum beneficio mihi concessa. *Tonsiastrus.* * Colore, & odore non differt à nostra fontana. *Mirm.* Sed virtute plurimùm differt. *Calep.* Præsertim, si generoso vino misceatur, vim habet admirabilem. *Tons.* Sed paucæ sunt guttulæ. *Mir.* Nempe, quia pretiosæ, & raræ. Ex his igitur quotidie sumes tres guttulas, tribus mensuris vini generosi commistas, & terno tractu exhauriendas. Manè scilicet, post meridiem, & ante cubitum.

Tonſ. Tantùm tres guttulas? habéntné tantam vim? *Synt.* Utique. Me vel ſolus odor jam cogit fundere verſus. *Tonſ.* Et quid fiet deinde, ubi ſumpſero tres guttulas, cum tribus menſuris vini, v. g. Auſtriaci? *Mirmill.* Nempe -

Nempe ubi cum liquidis conjuncta bene Auſtria Graiis
Intrabit pectus, ſtomachúmque - -

Tonſ. Quid? - Auſtria cum Graiis intrabit pectus? *Mirmill.* Auſtria, hoc eſt, vinum Auſtriacum cum aqua ex Græcia allata. *Tonſ.* Intelligo, eſt *Metonymia, continens pro contento.* Jam perge.

Mir. Nempe ubi cum liquidis conjuncta bene Auſtria Graiis
Intrabit pectus, ſtomachúmque calore replebit,
Nil niſi fatidicos, ſtimulante in carmina Phœbo,
Eructâſſe ſonos poteris, totúmque canoris,
Vocibus implebis Pindum, pagúmque, domúmque.

Tonſ. Et potero loqui, ſicut tu modò? *Mirmill.* Etiam liquidiùs. *Tonſ.* Bene, ſtatim probabo: ſumam illicò tres guttulas vino auſtriaco commiſtas. *Synt.* Mirum mox ſenties effectum. *Drom.* Affer

verò

verò & Dominis Studiosis de Baccho Austriaco, quem dudum exspectant. *Tonſ.* Afferam, afferam; tu interim, Drômule, cum Dominis Studiosis fac figuram *Sustentationis*, hoc est, sustenta illos alloquio tuo, donec redeam. *Calepod.* Sed, Domine Mœcenas, symbolam utique - - *Tonſ.* De symbola, ne sitis solliciti, literatum me credite, & literatorum amantissimum, Plura vobis Dromulus.

SCENA QUARTA.

Dromulus. Syntapsius. Calepodius. Mirmillus.

Drom. Audîstis jam ipsi. *Synt.* Quid audivimus? *Drom.* Ne solliciti sitis de symbola. *Calep.* Magno me certè metu liberârunt hæc dicta. *Synt.* Sed meo nunquid artificioso carmini debebitis hoc prandium? *Mirmill.* Imò aquæ meæ Castaliæ. *Drom.* Et quid ingenio meo? quis enim hoc consilium vobis suggessit? *Calep.* Ita est, tibi, Dromule, debemus omnia; hinc bibemus omnes in sanitatem tuam. *Drom.* Hoc exspecto. *Synt.* Erimus certè mirum in modum hilares, & faciemus *Periodos fusas.* *Calep.* Post prandium ètiam *rotundas*, saltando egregiè in circu-

circulum. *Drom.* Modò ne faciatis etiam *ſimiliter cadentia.* *Mirmill.* Tu verò, Dromule, facies continuas *Metaphoras*, & *Translationes* poculorum de loco in locum. *Synt.* Nec deerit *Gradatio*, egregiè, debebis currere è triclinio ad culinam, è culina ad cellam, è cella denuò ad triclinium. *Drom.* Sed vos quoque mecum facietis figuram *Communicationis*, nunquid? *Syntapſ.* Utique, ſemper aliquid reſidui relinquam in poculo, quod tu poteris exhaurire. *Calepod.* Et ego ſemper aliquid cibi in orbibus relilicti tibi communicabo. *Mirmill.* Urge modò, ut prandium, vel ſaltem hauſtus citò afferatur; timeo enim, ne herus tuus ſtudiis abſtractus, denuo vini obliviſcatur.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

Tonſiaſtrus. Dromulus. Staſimus.

Tonſ. * Generoſa eſt hæc aqua Caſtalia. Tres tantùm guttulas cum vini menſura deglutiì, & jam ſentio calorem Poëticum.

Drom.

* *Tonſiaſtrus in corbe fert geminas lagenas. Staſimus panes.*

Drom. Vides, quantum debeas Studiosorum liberalitati. Hoc jam vinum illis afferamus. *Tonſ.* Nondum; priùs - - *Drom.* Quid? *Tonſ.* Stasime, ubi habes Neptunum? *Staſ.* Neptunum? *Tonſ.* Hoc est, aqnam, stupor! *Staſ.* Hìc vides. *Drom.* Aquam vis miscere huic vino? *Tonſ.* Sic magis sapiet literatis, si sit *Allegoria mixta.* Implete ergo lagenam hanc aqua usque ad *umbilicum*, hoc est, ultra dimidium, dein Bacchum hunc Thetidi conjungite. *Drom.* Nimium aquæ sic vino affundetur. *Tonſ.* Non, non, sic erit haustus Poëticus.

In cratere meo Thetis est conjuncta Lyæo,
Est Dea juncta Deo, sed Dea major eô.

En effectum aquæ Castaliæ! jam incipio versus ructare. Videbo, an etiam intelligam Hierogisplicum. * Picturas jam intelligo, sed Distichum, quod lateat, non intelligo - - planè non intelligo; debebo adhuc semel summere tres guttas Castalias. *Staſ.* Qualem hìc habes picturam? *Tonſ.* Planè, planè non intelligo. *Staſ.* Ego jam intelligo. *Tonſ.* Tu? *Staſ.* Ita: ecce! hìc est serpens, & hìc est mus -

Tonſ.

* *Dum Dromulus & Stasimus aquam vino miscent, Tonsiastrus hieroglíphicum examinat.*

Stasimum deneg. *Tons.* Et hic * est asinus. Sed quid subjunctum lego? *Solventi præmium* - - An præmium Studiosi dabunt, si solvero hoc Hierogisplicum? Et quale? quæras, Dromule. *Staf.* Præmium à Studiosis exspectas? quid dabunt ipsi pauperrimi? *Tonf.* Pauperrimi? *Staf.* Nec quatuor obolos, credo, possident omnes tres. *Tonf.* Cur ergo cauponam accedunt, cur lautum instrui prandium jubent? *Staf.* Credunt nempe, te, præter morem, hodie liberalem fore, & symphoniam prandio remuneraturum. *Tonf.* Verúmne hoc, Dromule? *Drom.* Nihil minùs. *Staf.* Imò nihil certiùs. *Tonf.* Ocyus inquiras, Dromule, an bene impleti sint illorum loculi Rhetorici, hoc est, an suppetant illis largæ pecuniæ ad solvendam symbolam. Secùs à liberalitate mea nec micam, nec guttulam exspectent. Ego interim vinum, & panes denuo removeo.

SCENA SECUNDA.

Dromulus. Stasimus.

Drom. O te stolonum omnium stolidissimum, & ex quinta asinini cerebri essentia distillatum stuporem! - túne cauponem monere de studiosorum egestate? *Staf.* Nunquid opportunè? *Drom.* Opportunissi-

nissimè omninò, si Superis placet, vel inferis. Ut tuam tibi linguam ignitis forcipibus evellant, evulsam in mille frusta dilanient, dilaniatam denique Cerbero in jentaculum apponant. *Stasim.* Quid ita imprecaris? *Drom.* Innocenti scilicet? *Stas.* Enimverò. *Drom.* Enimverò! jam lætis fidibus resonarent ædes, jam nidore gratissimo fumaret culina, jam spumaret in poculis vinum, jam rueret in cibum stomachus, in potum guttur, in saltum pedes, nisi intempestiva proditoris lingua instructa jam hilaria momentô dissipâsset. *Stasim.* Et ego libens læta celebrâssem hilaria; sed quis dein solvisset symbolam? *Drom.* Hoc meo reliquisses ingenio, & periculo. *Stas.* Modò me priùs monuisses. *Drom.* Monuisses! pecus pecudis! saltem modò fauces comprime, & recede. *Stas.* Sit; tuo omnia committo ingenio, & periculo.

SCENA TERTIA.

Tonsiastrus. Dromulus.

Tons. Dromule! quid dicunt Studiosi, súntne bene nummati? nondum interrogâsti? *Drom.* Here, non est moris inquirere ex hospitibus, an illis sint pecuniæ; Hoc supponitur. *Tons.* Sed si negaretur suppositi-

positum? ocyus inquire, vel exspecta: meliùs inquiram ipse. *Drom.* Obsecro, ne hoc feceris: gravissimè hospitum animos offendet hæc quæstio, & ita offendet, ut posthac Studiosorum nemo ad cauponam tuam sit diversurus. *Tons.* Ne metue, rem dexterrimè insinuabo, & periodicè.

SCENA QUARTA.

Tonsiastrus. Dromulus. Syntapsius. Calepodius. Mirmillus.

Tons. Si quis vestrûm, Domini Studiodiosi, aut eorum, qui adsunt, fortè miretur, me, qui tot annis in excipiendis hospitibus ita sum versatus, ut egregiè deplumaverim multos, assymbolum dimiserim neminem, mutata subitò voluntate, ab avito more deflectere, is si consilii mei causam, rationémque cognoverit, unà & id, quod facio, probabit, & profectò neminem præponendum mihi cauponem putabit. Alio nempe modo rusticos, alió literatos excipiendos esse existimavi. Itaque, quoniam hic est exorsûs orationis meæ, ne qua sollicitudo præsentis convivii hilaritatem perturbet, omnem jam nunc de solvenda symbola

curam

curam deponere vos jubeo, ſanctéque polliceor, me, finitô prandiô, nec aſſem à vobis exacturum, ſi, priusquam menſæ accumbamus, perſolveritis ſymbolam. *Staſ. intra ſcenam* Heu! heu! heu! *Tonſ.* Quid iterum hic ſtupor? - -

SCENA QUINTA.

Dromulus. Tres Studioſi.

Synt. Dromule! quid dixit caupo? *Calepod.* Symbolam, ùt puto, nos juſſit ſolvere. *Mirm.* Et quidem ante menſam. *Drom.* Symbolum volebat dicere, Symbolum Apoſtolorum. Eſt nempe Tonſiaſtrus Religionis Orthodoxæ tenaciſſimus, & neminem hoſpitum menſæ ſuæ patitur accumbere, niſi priùs hanc fidei teſſeram audiêrit, Symbolum Apoſtolorum. *Synt.* An non mentiris, Dromule?

SCENA SEXTA.

Perſonæ, quæ priùs, accedit Tonſiaſtrus.

Tonſ. Eſt, eſt planè Staſimus, eſt ſtupor ineptiſſimus. Offam, dum inferre volebat, totam effudit in terram. Sed ne ſitis ſolliciti, jam iterum humo colligit, & ſtatim aderit. Si ergo vobis placeat conditio, accumbimus. *Cal.* Pla-

cet. Libentiſſimè perſolvemus Symbolum. *Mirmill.* Et, ſi velis, etiam *Pater noſter.* *Tonſ* Non, non eſt opus, ut ſolvat Pater veſter, modò vos - - *Drom* Here! Here! citò, citò! *Tonſ.* Quid? *Drom.* Verbum ſoli.

SCENA SEPTIMA.

Tonſiaſtrus. Dromulus.

Tonſ. Quid ergo? *Drom.* Vidiſti jam, pecunias ſuppetere Studioſis. *Tonſ.* Adhuc nihil vidi. *Drom.* Utique conditionem acceptârunt. *Tonſiaſt.* Sed nondum implêrunt. *Dromul.* Implebunt finitâ mensâ. *Tonſ.* Non, non, ante menſam implenda conditio. *Drom* Non eſt moris, ante menſam perſolvere ſymbolam. *Tonſ.* Diſtinguo: in aliis cauponis, tranſeat; in mea, negatur. *Drom.* Nec in tua hoc unquam moris fuit. *Tonſ* Ergo ſaltem hodie introducam hunc morem. *Drom.* Ineptiſſimum. *Tonſ.* Ineptiſſimum? Puer, non habes alia, quæ mihi proponas? *Drom.* Etiam, nunquid dixiſti, priùs te nullam ſymbolam exacturum ab eo Studioſo, qui tuis honoribus ingenioſum hoc carmen obtulit? *Tonſ.* Sit, quid inde? *Drom.* Alius pariter oblata hac pictura hierogiſplica ſaltem prandium gratuitum meretur. *Tonſ.*

Sit,

Sit, etiam ab hoc nihil exigam, si tertius solvat pro omnibus. *Drom.* Unus pro omnibus? hoc esset injustissimum. *Tons.* Neutiquam, sed est tropus; *cùm sumitur unus pro pluribus.* *Drom.* Denique omnibus promisisti epulum gratis apponendum, si aquam tibi Castaliam obtulerint. *Tons.* Ego hæc promisi? *Drom.* Ita, ego hæc promisi tuo nomine. - *Tons.* Ergo tu solve, quod promisisti. *Drom.* Tuo nomine, ut promitterem, jusseras utique? *Tons.* Tantùm locutus sum *ironicè.* *Drom.* An ergo verbis propriis contradices? *Tons.* Cur non? est figura elegantissima *Antithesis, cùm verba verbis, sententia sententiis opponuntur.* *Drom.* Obsecro! - *Tons.* Apage modò, & de his rebus fac figuram *Reticentiæ*, aut ego faciam tecum insignem figuram *Correctionis.*

SCENA OCTAVA.


Tonsiastrus. Syntapsius. Calepodius. Mirmillus.

*Tons.** En! Domini Studiosi! quam posui symbolam, quilibet nempe vestrûm ante mensam persolvet tres florenos; quilibet, est symbola per *Synecdochen*, *cùm ponitur certum pro incerto.* Hìs positìs, securè, & hilariter potabitis, vorabitis, sal-

* *Ostendit talerum nigram.*

saltabitis ad seram usque vesperam. *Synt. ad socios.* Nunquid dixi? ludit nos Dromulus. *Mirmill.* O si ego hunc puerum! *Calep.* Tuo ingenioso carmini debemus hoc prandium. *Mirmill.* Imò aquæ tuæ Castaliæ. * *Tonf.* Quid est? non placet hæc symbola? tres tantùm florenos quilibet. *Calep.* Nec tres obolos habemus. *Synt.* Discedimus. *Mirmill.* Saltem haustum cerevisiæ pro adornata Musica. *Tonf.* Pro tribus florenis. * Excessit, erupit, evasit nobilissima trias. Cæterùm, Domini Auditores, paratum jam prandium meum, ad quod omnes invito. Si tamen symbolam priùs solveritis, quilibet tres florenos.

O. A. M. D. G.



PRI-

PRIMA
AD
COELUM
VIA
PER
INNOCENTIAM.
MEDITATIO I.



PERSONÆ.

Joſephus.
Canopus, *Servus Regius cum Joſepho captivus.*
Setho, *Carceris Præfectus.*
Apries, *Putipharis Filius.*
Bagoas, *Servus Putipharis.*
Præco.
Milites. Cives. Joſephi comitatus.

AR-

ARGUMENTUM.

GEminæ tantùm ad Cœlum viæ ſunt; prima per Innocentiam, altera per Pœnitentiam: utramque Marianis Dominis Sodalibus præſentis Quadrageſimæ Meditationes oſtendent. Primam, eámque planiorem, & tutiorem facilè tenebunt, qui omnino ritè impreſſam ſemper tenebunt Meditationis hodiernæ teſſeram: *Quomodo poſſum malum facere, & peccare in Deum meum. Gen. 39. v. 9.* Explicabimus hanc teſſeram Magni Patriarchæ Joſephi, ex cujus ore deprompta eſt, exemplo. Cùm tamen ampliſſima ſit Joſephi Hiſtoria, ex eadem pro præſenti Meditatione tantùm ſelegimus ſequentia.

Jam triennio integro Joſephus in vinculis hæſerat, quæ induere maluerat, quàm Innocentiam exuere, paratus utique ſemper non diuturniores modò carceres, ſed & mortem ipſam pati potiùs, quàm peccare in Deum ſuum; cùm ità conſtitutus animo, & in via Innocentiæ ſemper firmus etiam in terris jam Cœlum invenit, è carcere ad Pro-Regis Ægyptii ſolium elevatus. Quo id modo contigerit, (objecto nempe divinitus Pharaoni ſomnio) cùm è ſacris Literis omnibus notiſſimum credamus, pluribus hìc enarrandum non judicavimus.



PARS PRIMA.

INDUCTIO PRIMA.

Josephus. Canopus. uterque in carcere dormiens.

*Josephus.** CEssa! cessa! ** *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?* Cessa! cessa! *Canop.* Quæ te, Josephe, inquies exagitat? *Joseph.* Ubi sum? *Canop.* Dubitas? mecum es in infelici carcere. *Joseph.* Adverto. Morpheus dormienti illusit. Somniabam, me denuò versari in domo Putipharis, & quidem - - Sed laudes DEO! inane somnium est; adhuc in carcere detineor. *Canop.* Ergo tam gratus tibi hic carcer est? *Joseph.* Minùs certè molestus, quàm Putipharis domus: in qua furia illa, in cujus manus me denuò incidisse somniaveram. *Canop.* Heram tuam, Putipharis conjugem, tam specioso titulo honoras? *Joseph.* An meliorem meretur improba, quæ in hos carceres per summam calumniam me detrusit, quæ per triennium integrum vinculis onerat innocen-

* *In somnis loquitur.* ** *Gen. c. 39. v. 9.*

nocentem? *Canop.* Cur ipſus tam potentis fœminæ furorem in te provocâſti? Cur ſervus Dominæ imperia, blanditias, preces pertinax ſpreviſti? *Joſeph.* Ergóne aſſentiri debuiſſem votis nefariis? *Canop.* Sic ſaltem iram Dominæ, & hos carceres evitâſſes. *Joſeph.* Evitâſſem iram Dominæ, & hos carceres; ſed iram Domini, & graviores longè carceres incurriſſem. *Canop.* Quis detexiſſet Domino tuo Putiphari occultum facinus? omnium oculos latuiſſet. *Joſeph.* Putipharis quidem, & hominum oculos latere fors potuiſſet occultum facinus; at non Illum, quem magis timeo, & colo Dominum. Deum nempe omniſcium, cujus oculos nemo fallit; qui immenſus, ubique præſens, etiam in tenebris, etiam in arcanis cubilibus, etiam in imis angulis videt omnia. *Canop.* Hunc ergo inviſibilis Dei, in quem credis, inviſibilem oculum adeò timebas? *Joſeph.* An non timerem? Edic, obſecro, amice, quando tu furtum illud (quod jam confeſſus es, ob quod in carcere detineris) quando, inquam, hoc in Gazophylacio Regio furtum tentâſti? *Canop.* Quid quæris, quod toties narravi? ſeram nempe ſub noctem, inter tenebras. *Joſeph.* Cur ſub noctem? tamen de die in menſa & per conclavia proſtabat Re-

gis supellex aurea, cur inde nil subduxisti? *Canop.* In conspectu tot ministrorum, qui aulam omnem lynceis percurrunt oculis, qui ausus essem? *Joseph.* Ergo vigiles ministrantium oculos timebas? *Canop.* Quis non timeret tot testes, & furti, vel tentati tantùm, continuos delatores? quàm occultissimè tentare oportuit, quod meditabar, furtum. *Joseph.* At quomodo tandem proditum in tenebris, nullo teste patratum, aut saltem tentatum furtum? *Canop.* Utique dudum dixi: Rex ipse Pharao inopinus superveniens me deprehendit: ipse criminis mei & testis, & Judex, & vindex. *Joseph.* Si verò Regem præsentem fore prævidisses, an tamen furtum tentâsses? *Canop.* An insanum me credis? quis enim nisi insanus & furens inspectante Rege audeat quid, per quod Regem gravissimè irritandum sciret? vel infimi cujusque servi testem oculum timebam: non timuissem testes criminis oculos Regios? *Joseph.* Et ego, putas, timere non debuissem Divinum oculum flagitii, ad quod urgebar, Testem, & Judicem, & Vindicem non evitandum? Tu quidem, Amice, persuadere tibi non imprudenter poteras, factum tuum Pharaoni ignotum fore; ego dubitare non potui, crimen omne,

omne, si quod patrâssem, Deo fore notissimum. Tu detecto etiam furto saltem à fuga sperare salutem poteras; ego sperare non poteram, me Dei manum vindicem evasurum. Tu, dum furtum tentâsti in tenebris, Regem præsentem ignorabas; ego sciebam ubique, & semper Deum mihi præsentissimum. *Quomodo ergo potuissem malum facere, & peccare in DEUM meum?* in Deum omniscium? in Deum omnipotentem? cujus oculos nemo fallere, cujus manum nemo potest effugere? Qui Judex justissimus novit omnia, judicat omnia, & punit, vel remuneratur omnia?

INDUCTIO SECUNDA.

Josephus. Setho. Apries. Bagoas.

Seth. Josephe, me sequaris. Tu Canope, interius ergastulum subi. *Joseph.* Fallor? an Apriem video? *Apries.* Et ego te video, mi Josephe? at qualem te video? *Joseph.* Talem me vides, qualem me voluêre Parentes tui; miserum, & captivum. *Apries.* Ah! ne Parentum nimiam in te duritiem filio insonti exprobra. Testor Deos, non graviùs hæc vincula corpus tuum, quàm mentem meam pressêre; nec tristior tibi hic car-

carcer fuerit, quàm mihi, te absente, Paterna domus. *Joseph.* Nec mihi, fateor, quidquam tristius in hoc carcere, quàm Apriis mei conspectu, & alloquio tamdiu carere. *Apries.* Dudum subiissem carceres, nî severissima Parentum imperia, & vigiles undique oculi prohibuissent. At hodie demum ultro missus à Patre Putiphare venio, lætus nuntius. *Joseph.* Quid lætum ab irato Domino servus, & quidem (ùt creditur) infidus, & nefandi criminis reus exspectet? *Apries.* Oblivioni datum est, si quid commissum est criminis; indulta tibi libertas pristina. Adhuc hodie vinculis eximendus es, Josephe. *Joseph.* Vinculis eximendus sum adhuc hodie? *Apries.* Meis nempe toties repetitis precibus & lachrymis exoratus Putiphar iram omnem tandem deposuit, & carcere te liberum jubet. Regis modò consensum exspectat, quem facile obtinebit. *Joseph.* Agnosco, & adoro summi, quod colo, Numinis Providentiam, quæ suos premi patitur, non opprimi. Et tibi, ô Apries, quid non debeo? patere, exosculer manum, tam piam in me. *Apries.* Rue potiùs in amplexus tamdiu interceptos. *Bagoas.* Patere, ut & ego conservus olim conservo gratuler, imò meum te posthac

Domi-

Dominum & Domûs noſtræ Præpoſitum venerer. *Apries.* Ita eſt, Joſephe, non carcere modò liberum te Parens jubet, ſed ad priſtina etiam officia revocat, & totius domûs ſuæ œconomiam tibi denuo committit. *Joſeph.* Ad domum ergo Puthipharis revocor? *Apries.* Etiam conſentiente Matre, quæ meis pariter placata lachrymis præteritorum oblivionem ſpondet. *Bagoas.* Si & Joſephus ſpondeat mutatum animum, & facti pœnitentiam profiteatur. *Joſeph.* Si mutatum animum, ſi facti pœnitentiam profitear? *Apries.* Adverto, Joſephe, quid animum pungat: pœnitentiam profiteri horres, & criminis reum te fateri, quod hactenus negâſti; ſed mitte hanc curam. Non exigit Parens mea, ut publicè fatearis, vel depreceris offenſam quamcunque: excuſes modò verbis brevibus, ſi quid tentatum eſt. Neque metue; excipiet te perhumaniter. Vale interim. Patrem jam urgeo, ut libertatem tuam à Rege quoque efflagitet. Brevì rediturus liberum te hinc abducam. *Bagoas.* Et ego lætus recipiam novum domûs noſtræ Præpoſitum, cui promptus has claves cedam. *Joſeph.* * Amice, mone Dominum, vel Dominam tuam, Joſephum carceris ærumnis nihil mutatum nec animum

* *Ad Bagoam.*

mum mutâsse, nec mutaturum: facti me nec pudere, nec pœnitere, & quod ante triennium feci, idem me denuo facturum, si eadem redeat occasio. At ne redire occasio possit, domum vestram nunquam subibit Josephus. *Bogoas.* Vis seriò hæc nuntiari? *Joseph* * Hoc teste.

* *Designat Sethonem.*

INDUCTIO TERTIA.

Josephus. Setho.

Setho. Quid agis, Josephe? oblatam libertatem recusas? *Joseph.* Libertatem ambio; sed domum Putipharis timeo. *Setho.* Et cur timeas? tamen placatam tibi, cujus furorem timebas, Dominam audiisti. *Joseph.* Eò magis timeo; novam nempe peccandi occasionem, quam olim ægrè evasi, timeo. *Setho.* Tenera nimiùm conscientia tibi est, Josephe. *Joseph.* Ita tu quidem, qui Deos colis Ægyptios. Aliter sentiunt, qui mecum unum & verum DEUM adorant, qui credunt & agnoscunt supremam illam Majestatem, coram qua curvantur, qui portant orbem: illam Sanctitatem, coram qua cœli immundi sunt, & Angeli contremiscunt: illam immensam potentiam, quæ tribus digitis appendit molem terræ; quæ nutu unico creavit omnia,

conservat omnia, gubernat omnia, cujus leges sanctissimæ à nullo mortalium unquam impunè possunt violari. Talem Deum, qui mecum credunt, quàm sollicitè incedunt, ne tantæ Majestatis & Sanctitatis Dominum peccando offendant. *Setho.* Ergo à nemine suorum offenditur ille Deus vester? *Joseph.* Offenditur utique, prô dolor! etiam noster Deus, & à suis fidelibus offenditur, & gravissimè, & sæpissimè offenditur; ab iis nempe, qui Deum credunt, sed raró de Deo cogitant; quin, ut liberiùs peccent, Dei præsentis memoriam studiosè animo excludunt. Ego verò, qui Dei, & Judicis mei testem oculum & manum vindicem semper mihi præsentem cogito, qui ejusdem Justitiam timeo, Sanctitatem colo, Bonitatem amo, nihil magìs mihi cavendum judico, quàm ne tantum Deum offendam, ne qua in re sanctissimas ejus Leges violem, & tanti Domini furorem justissimum provocem. *Setho.* Tamen ex te ipso audivi non semel, hunc Deum tuum plenum misericordia, & licèt gravissimè offensum, facilè denuo placari. *Joseph.* Plenus est misericordia Deus noster; sed & plenus justitia: placari potest, imò certam veniam promisit omnibus verè pœnitentibus; sed nemini promisit,

neque

neque largitur omnibus ſpatium & efficacem gratiam veræ pœnitentiæ. Semel tantùm peccârunt Angeli, ſpiritus nobiliſſimi, & primi Aulæ Cœleſtis Proceres: & mox rudentibus inferni detractos, præcipites dejecit ad tartara, nullo pœnitentiæ ſpatio, nulla ſpe veniæ relicta. *Setho.* Fuerit, ùt dicitis, tam ſeverus in Angelos veſter Deus: at mitior certè videtur hominibus. Quot enim homines centies, imò millies, peccârunt; nec tamen, ùt ipſe fateberis, omnes dejecti ſunt ad infernum. *Joſeph.* Non omnes utique. Fuêre, quibus Divina pepercit Clementia; ſed fuêre etiam, & longè plures, quibus Divina Clementia in medio flagitio deprehenſis ſpiritum eliſit, aut ſaltem induratis veræ pœnitentiæ gratiam efficacem negavit. Vidit Progenitor meus Abraham civitates geminas, Sodomam, & Gomorrham horâ unicâ, excuſſo è nubibus igne exuſtas, omnéſque earum incolas in puncto ad inferna demerſos. Eadem vindex ſcelerum Dei manus mihi ubique imminet, eadem & me in medio, ſi quod auderem, flagitio deprehenſum, poſſet ad inferos detrudere. Quomodo ergo non timeam? quomodo non fugiam, non peccatum modò, ſed & peccandi occa-

ſio-

sionem ? *Quomodo possum malum facere, & peccare in DEUM meum?* *Setho.* Virtutem tuam dudum suspexi, Josephe, & cognitam mihi innocentiam ; atque ideò mitiorem semper, quàm captivi alii, me es expertus. *Joseph.* Gratus agnosco. *Setho.* Faciam etiamnum, quidquid licuerit, ut tibi carceris ærumnas levem. Solvo etiam has compedes, incede liberè per hanc domum ; modò te non subtrahas custodiæ. *Joseph.* Grates iteratas tibi, & Deo, qui fecit, ut invenirem gratiam in conspectu tuo.

INDUCTIO QUARTA.

Josephus. Setho. Bagoas.

Bagoas. Josephe, nuntiavi, quod jusseras, Hero nostro sincerè. Responsum explicabit carceris Præfectus, ad quem hoc à Putiphare mandatum fero. *Setho.* Ah Josephe ! *Joseph.* Quid demum? *Setho.* Lege ipsus mandatum triste. *Jos.* * *Mancipium insolens, & in suo adhuc crimine pertinax novis catenis oneratum, in teterrimum, quod omni luce careat, ergastulum detrudito, etiam panem & aquam negato, dum plura, & graviora in illum, me urgente, Rex statuat.* Bene est: exequere mandatum, Amice, promptus novas

* Legit Josephus.

vas catenas induo; sed animum non exuo, nec muto. *Bagoas.* Tibi condoleo; sed mihi gratulor: jam liber sum ab æmulo clavium.

PARS SECUNDA.

INDUCTIO PRIMA.

Josephus. Setho.

Setho. INvitus, Josephe, exequor Putipharis mandata. Vides hanc specum? *Joseph.* Tetrum ergastulum; draconum, non hominum cubile. *Setho.* Hoc evitare potuisses, si voluisses; & fortè adhucdum potes, si voles. *Joseph.* Vellem evitare, si evitare sine peccato possem. *Setho.* Muta animum. *Joseph.* Mutare animum sine peccato non possum, nec me peccandi periculo exponere. *Setho.* Bene considera locum horrore plenum. *Joseph.* Considero; sed & alium locum adhuc tristiorem considero: locum miseriæ & tenebrarum, ubi ignis, & sulphur, & spiritus procellarum. Æternos nempe carceres, æternos rogos considero, quos Divina mihi minatur Justitia, si vel semel in DEUM peccare, aut etiam occasioni proximæ peccan-

di

ibi me audebo exponere. *Setho.* Tam rigidus ergo est ille, quem colis, Deus, ut æternos carceres in se peccantibus minitetur. *Joseph.* Non rigidus est ille, quem colo, Deus; sed vel tunc, cùm æternùm punit, adhuc misericors, quia infra condignum punit. Tanta nempe est peccati, vel unius gravitas, dum vilis creatura infinitam Creatoris sui Majestatem, & Bonitatem, sciens volénsque offendere, ac sanctissimas ejus Leges in ejusdem conspectu audet infringere: *Quomodo ergo possum malum facere, & peccare in DEUM meum? Setho.* Ergo descendendum tibi in hoc spelæum. *Jos.* Durum est, fateor; sed durius esset peccare, & per peccatum descendere ad infernum. *Setho.* Semel in hoc antrum demissus, fortè nunquam ampliùs inde evades. *Joseph.* Fortè non. Fortè tamen iterum evadam. *Setho* Spes certè exigua tibi superest irato Putiphare. *Joseph.* Exigua; sed tamen aliqua: at in infernum si detruderer irato Deo, spes superesset omnino nulla. Nulla, nulla ex inferno redemptio. *Setho.* Inter antri hujus tenebras sedebis miser fortè per annos plurimos. *Joseph.* Fortè. At in inferno certè longè miserior sederem per annos æternos. *Setho.* Vivus hìc sepultus

computrefces. *Joseph.* Saltem mors miferiis finem ponet ; at in inferno nullus foret dolorum finis. Eligo igitur minus malum, ut gravius evitem malum. Inferni æternitas, peccati fœditas hunc temporanei carceris horrorem mihi tolerabilem efficiunt. Defcendo vivus ad hanc inferni imaginem, ne per peccatum defcendam mortuus ad infernum verum.

INDUCTIO SECUNDA.

Josephus. Apries. Setho.

Apries. Sifte. Quò te præcipitas, Josephe? quo infolenti refponfo jam placatum tibi per me Putipharis animum denuo acriùs irritâfti? oblatam libertatis gratiam, & reditum in herilem domum cur tam probrosè rejecifti? *Joseph.* Libertatis gratiam non rejeci; fed ad domum veftram redire me prohibet Lex fanctiffima Summi, quod colò, Numinis. Legem hanc tu ignoras; nec ego coram te pluribus aufim hæc explicare. Setho novit, me, nifi contempto Deo, & Dei Lege, domum Putipharis fubire non poffe. *Setho:* Quin animum tandem mutas? non ex contemptu Dei, aut Legis facies, quidquid tandem tibi faciendum times; fed

ad

ad recuperandam tantummodo libertatem, ad evitandos graviſſimos carceres, & quadam quaſi ultima neceſſitate compulſus. Hæc ultima neceſſitas delictum omne, ſi quod fortè admittes, etiam ante DEI tui tribunal excuſabit. *Joſeph.* Ah! quàm parùm tu DEUM, & DEI tribunal nôſti? cujus vel ſola mentio novo me peccati horrore percellit. O quale hoc tribunal? quàm ſeverum? quàm tremendum peccatori?

INDUCTIO TERTIA.

Joſephus. Apries. Setho Canopus.

Canopus. Apries, vides ad genua tua provolutum ſupplicem: ex his vinculis, ex hoc infelici carcere, aut ſaltem à tribunali judicis jam imminente veterem clientem libera. *Apries.* Quid mihi ſupplicas? captivus Regis es. Idem & Judex tuus: ex hujus manibus, aut tribunali quî ego te poſſim eripere? *Canop.* Gratiâ apud Pharaonem polles: precibus tuis mihi veniam, & libertatem, aut ſaltem vitæ gratiam poteris impetrare. *Apries.* Grave nimiùm delictum te premit: non modò in Leges Regias, ſed etiam præſente Rege auſus es peccare. *Canop.* Peccavi, fateor, ſed ſemel tantùm, tantùm ſemel:

primum & unicum hoc furtum meum, & quidem tentatum tantùm, non perpetratum. *Apries.* Vel semel tentâsse talia, & quidem in Regis oculis, crimen est læsæ Majestatis. *Canop.* Ah! non adverti præsentem Pharaonem, nec ex contemptu Regis, aut Legis furtum tentavi, sed tantùm ad levandam, qua premebar, inopiam, ad placandos creditores; qui importuni undique ipsos jam carceres mihi minabantur. Denique necessitate quadam ultima compulsus, tentavi tantùm, non perfeci crimen. *Apries.* Hæc te in tribunali Regio non excusabunt. *Canop.* Fidelis semper, si hoc unum crimen excipias, fidelis semper hactenus Pharaoni servivi. *Apries.* At hoc uno crimine merita omnia evertisti, & justum Regis furorem in te provocâsti, nec meis precibus placandum. Tradendus Judici non nisi ultimum supplicium exspectes. Læsa Majestas tanti Regis ne sanguine quidem vilis mancipii satìs placanda. Discede infelix. *Canop.* Ah! per hanc dextram. *Apries.* Discede, inquam, criminis in ipsum Regem patrati reus in me Patronum non invenies. *Canop.* Per Genitoris canos. *Apries.* Discede. Abduc Setho importunum.

IN-

INDUCTIO QUARTA.
Apries. Josephus.

Apries. Tu verò, Josephe, an nondum meliora statuis? quid attonitus consideras? *Joseph.* Dicta vestra, & ex his Divinum Tribunal consideravi. Ecce! infelix Canopus semel tantùm peccavit, imò tentavit tantùm, & non ex contemptu Regis, aut Legis; sed inopia pressus, ut carceres evaderet, & ultima quadam necessitate compulsus: & tamen, te ipso Judice, hæc omnia in tribunali hominum non excusabunt delictum: Non nisi laqueum, & ultimum supplicium miser exspectet, quia in Regis sui oculis, quem tamen præsentem ignorabat, peccavit. Ita tribunal hominum, & terreni Principes Leges suas contemptas vindicant, & nec ultimo supplicio servi aliàs bene meriti læso honori suo satisfactum putant. Et credis, supremus ille Rex Regum læsam Majestatem suam non vindicabit? in ipsius oculis patrata crimina non ultimo supplicio affici mereantur? *Quomodo possum igitur malum facere, & peccare in DEUM meum? Apries.* Quis verò ad peccandum te incitat? *Jos.* Incitarer, si ad domum vestram redirem. *Apries.* A

quo demum? *Jos.* Dixi: te coram plura non licet loqui. Satis est. Domum Putipharis sine Numinis offensa subire non possum. *Apries.* Ergo spelæum hoc, imò ultimum supplicium subi. Nescis infelix, quod tibi malum machinetur insolenti responso tuo irritatus Putiphar. Nempe jam Regem adiit, læsum honorem suum protervi, ùt ait, mancipii sanguine vindicatum postulat. Disce tandem trepidare: nôsti, quid possit Dominorum furor in mancipia. *Joseph.* Novi. Possunt terreni Domini corpus occidere, ultra nocere nihil possunt. Magìs timendus est ille Dominus, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.

INDUCTIO QUINTA.

Josephus. Apries. Setho.

Setho. Nova, Josephe, de te mandata accepi. Regi sistendus es. *Joseph.* Ego Regi? Et qua de causa? *Setho.* Hanc equidem ignoro. *Apries.* Dubitas infelix? nempe ad tribunal Regium, ùt dixi, Parens te accusavit. Ultimam, & feralem capitis sententiam mox excipies. *Setho.* Certè & ego tibi malè metuo, Josephe. *Jos.* Ego verò præter Deum, &

Dei

Dei offensam jam nihil timeo. Subeo tribunal, &, si Rex jubeat, ultimum supplicium; modò effugiam peccatum. Damnet ad mortem hoc corpus terrenus Judex, modò absolvat animam Cœlestis Judex. Vale Apries. *Apries.* Ah! siste Josephe. Nunc tandem pertinaciam pone: placabo denuo iratos tibi Parentes, & per hos etiam iratum Regem. Permitte modò, Parenti referam, te tandem obstinatum animum exuisse, & - - *Jos.* Hoc sine peccato non possum. *Setho.* Tamen hic modus superest unicus, qui te Putipharis, & Regis irati manibus, ac ultimo demum supplicio poterit eripere. *Jos.* Præstat incidere in manus hominum, quàm in manus Dei vindices. Liberare me Deus poterit è manibus irati Regis; non Rex è manibus irati Dei. *Apries.* Confidis in hoc Deo tuo, qui tamen triennio integro non potuit te eripere ex hoc carcere? *Jos.* Potuit; sed hactenus noluit. *Setho.* Sed si etiamnum nolit? si mortis jam instanti supplicio te succumbere patiatur? *Joseph.* Tunc vitam mihi restituet eò beatiorem. *Apries.* Vitam tibi restituendam speras? *Joseph.* Confido, eóque securiùs, quia sponte hanc vitam pro Deo pono; dum mortem malo, quàm peccandi occasionem

subire. Ea nempe est Dei veri, in quem credo, Potentia, & Justitia, ut, sicut æternis pœnis vindicat illatam sibi injuriam, ita æternis præmiis remuneretur sibi servatam fidem. Quin longè liberalior in præmiando, quàm severus in puniendo, quidquid hactenus pro servanda Deo fide, & fugiendo peccato passus sum, vel adhuc patiar, amplissima mercede compensabit. Hæ catenæ mutabuntur in torques aureos: ex hoc spelæo ad solium, per carceris ignominiam ad gloriam, per ipsam denique mortem ad vitam felicissimam deducet. *Setho.* Et quando futura hæc somnias? *Joseph.* Non somnio; sed scio: quia fidelis Deus est, si & ego Deo fidelis maneam. O me igitur jam non miserum, sed inter ipsas miserias beatissimum! quia eas tolero pro causa Dei tam potentis, tam liberalis.

INDUCTIO SEXTA.

Josephus. Apries. Setho. Canopus.

Canopus. Apries! Setho! Josephe! juvate, aut saltem condolete misero. Ad Judicum tribunal evocor. *Joseph.* At mihi gratulamini amici: quia & ego ad tri-

tribunal evocor. *Canop.* Moriendum erit, quia offendi Ægypti Regem. *Jos.* Et mihi moriendum erit, sed quia nolui offendere Cœli Regem. *Canop.* Post tot præstita Pharaoni obsequia, post tot carceres toleratos, tandem, heu! laqueum referam. *Joseph.* Et ego post levia Deo præstita obsequia stolam æternæ gloriæ. Eamus uterque ad tribunal, dispari licèt animo, quia dispari ex causa. Vale denuo Apries, & æternùm vale. *Apries.* Josephe! sic frater fratrem, filium Parens deseris? Scis, ego te hactenus non modò ùt fratrem amavi, sed ùt Parentem, imò plus, quàm Parentem colui; tu me ùt fratrem, imò ùt filium amâsti. Mors Josephi erit mors Apriis; imò mors tua morte propria mihi durior. Si animum tuum non frangit mortis horror, saltem flectat mutuus inter nos amor. Ne rumpe pertinax tam suave amoris vinculum. *Joseph.* Apries, &, si quidem sinis, ut pristino te more compellem, Frater amantissime, quo nihil mihi in terris suavius, aut jucundius: in quo post Patriam, Patrem, fratres in tenera ætate perditos novum Parentem, aut certè meliorem, quàm in Jacobi filiis, fratrem inveni, ægrè utique te desero; sed deserere tandem debeo, ne Deum de-

deſeram, & Dei Legem. Scio, quid tibi debeam. Neque immemor ſum eorum, quæ in paterna domo mihi præſtitiſti. Novi tua in me etiam captivum & infidelem, ùt credebar, ſervum ſtudia: novi curas, preces, lachrymas pro libertate mea à te profuſas: pro quibus immortales grates rependo. Sed, ignoſce, utut maxima tibi debeam, plura tamen debeo Domino & Deo meo. In hunc ingratus eſſe non poſſum. *Non poſſum malum facere, & peccare in DEUM meum.* *Apries.* Ergo fixum tibi ſubire mortem, mortem tam infamem? *Joſeph.* Potiùs certè, quàm Deum optimum offendere. *Apries.* In patibulo, vel ſub ſecuri Apries Joſephum videat? *Joſeph.* Præſtat videre in patibulo innocentem, quàm in ſolio nocentem. *Apries.* Ah! non amas me, Joſephe, ſi ita loqueris. *Joſ.* Parce verbis his vulnerare jam ſaucium Joſephi pectus. Amo te, Apries, amo utique; ſed magìs amandus Deus eſt. Hunc ne offendam tam amandum Dominum, mundum totum, &, quod in mundo chariſſimum, Apriem meum deſero. Non tamen amorem in te cum vita exuo, vel poſt mortem mihi amande frater. Teſtes amoris ultimos morituri amplexus, & ultimas has lachrimas ca-
pe.

pe. *Apries.* Morituri? Ah patere, ut huic te morti eripiam, dum adhuc possum. *Joseph.* Paterer, si fieri posset sine crimine. Nunc mori præstat, quàm DEUM offendere. Vale Apries, redi ad paternam domum. *Apries.* Et quò Josephus? *Joseph.* Ad mortem propter DEUM. *Setho.* Jam moras rumpite. Vocat tribunal Judicis. *Canopus.* Heu! vox terribilis: tribunal Judicis. *Joseph.* At mihi hæc vox amœna. *Canopus.* Quàm me torquet rea conscientia? *Joseph.* Quam me exhilarat servata Innocentia?

PARS TERTIA.

INDUCTIO PRIMA.

Apries. Setho.

Apries. AN non spe vana me ludis, Setho? ergo spes vitæ adhuc Josepho superfit, etiam invito Parente Putiphare? *Setho.* Dixi: Si visa dormienti Regi portenta ritè noverit explicare Josephus, eundem liberum dimittet Pharao, etiam invito Putiphare. Adeò avidè, & sollicitè Rex expetit ominosi somnii interpretationem, è qua totius

Regni

Regni incolumitatem dependere credit. *Apries.* At quomodo Josephus evolvere poterit arcana somnii omina, quod convocati tota Memphi Augures peritissimi non potuêre? *Setho.* Josephum Augurem, & somniorum præsertim interpretem peritissimum experti sunt, qui biennio abhinc mea sub custodia tenebantur Pincerna, & Pistor Regius, quibus obscura licèt somnia clarissimè Josephus exposuit, eventu augurio respondente. Pistor, ùt Josephus prædixerat, post triduum è patibulo suspensus: Pincerna pristino muneri restitutus, à quo & hodie Regi commendatus est Josephus. *Apries.* Sed Pharaonis somnia longè arcaniora, quæ ipsi Dii nostri tot sacrificiis invocati suis Vatibus pandere non potuêre, aut certè non voluêre. *Setho.* At Deus ille, quem Josephus colit, plura eidem solet pandere, quàm nostris Vatibus Ægyptii Dii. Imò jam vix dùbito, Josephi Deum hæc Pharaoni somnia objecisse, ut hac tandem occasione viam ei aperiat ad libertatem. *Apries* O si hæc posset, & vellet hodie ille Josephi Deus, majorem illum & meliorem crederem nostrìs Diîs, & vel ob liberatum tantummodò Josephum colere, & amare inciperem. *Setho.* Certè in hoc Deo suo

ſuo confidit Joſephus. *Apries.* Utinam non fruſtra.

INDUCTIO SECUNDA.

Apries. Setho. Bagoas.

Apries. Quid juſſus exploràſti? quid cum Joſepho in aula agitur? *Bagoas.* Rarum patibulum non hinc procul erectum vidi, & ſcalas jam applicatas. *Apries.* Et cui paratum hoc patibulum? *Bagoas.* An dubitemus? hanc nempe pœnam in Joſephum à Rege ſtatuendam Parens tuus expetiit. *Setho.* Ego hanc furcam Canopo paratam credo. *Bagoas.* Ego utrique. Certè Joſephus potiùs, quàm Canopus ultimum hoc ſupplicium meretur. *Apries.* Quid loqueris inſolens? *Bagoas.* Servus fidelis illatas Domino meo injurias vindicandas ſpero. *Apries.* Ocyùs è conſpectu meo te proripe, aut - - ah Setho! actum eſt de Joſepho noſtro, Parentum furori ſuccumbet infelix victima, & cum hoc ego. Joſepho ſupervivere nec poſſum, nec volo. Adeo ſupplicii locum: in morientis Joſephi oculis meum pariter ſpiritum hoc mucrone expello. *Setho.* Siſte. Quis inſonat clangor tubæ?

IN-

INDUCTIO TERTIA.

Apries. Setho. Præco.

*Legitur decretum Reg. *Præco.* Audite cives Decretum Regium. * *Cùm Superûm providentia virum Ægypto submiserit, qui Augur peritissimus arcana cœlestia penetrare, & impendentia Regno mala gravissima non modò sagaciter prævidere, sed & avertere, & in totius Ægypti bonum convertere feliciter noverit; ut debitam meritis gratiam Rex conferat, & bono publico consulat, universa Ægyptus Josephum terræ totius, quà latè Pharaoni subditur, Præpositum, & uno tantùm Regni solio Rege minorem sciat, colátque. Sic statuit, & jubet, Pharao Rex Ægypti.* *Apries.* Setho, an auris me fefellit? an Josephum Præco nominavit?

INDUCTIO QUARTA.

Josephus. Apries. Setho. Comitatus Josephi.

Comitatus. Vivat Josephus, Ægypti Pro-Rex! Vivat, regátque. *Joseph.* Apries! *Apries.* Josephe! Quæ hæc rerum mutatio? *Joseph.* Mutatio est dexteræ

teræ Excelsi. Pro - Regem Ægypti vides in solio, quem quærebas in patibulo. *Apries.* Patere, ad genua tua accidam. *Seth.* Patere, ut & ego, non jam vinculis, sed brachiis stringam venerandos novi Pro-Regis pedes. *Joseph* Sistite, & in amplexus jam lætiores involate, Amici, & tandem discite, quàm potens, quàm justus, quàm liberalis, quàm bonus sit ille, quem colo, Deus. Nolui malum facere, & peccare in Deum meum: & ecce! quàm fidelis hic Deus in sibi fidelem servum: non modò omni me malo eripit; sed in hac etiam vita tot complet bonis. O felix peccati fuga, qua tot inveni bona. Renovo jam, & adhuc altiùs inscribo pectori. *Non possum, non possum unquam malum facere, & peccare in DEUM meum;* in Deum tam magnum, tam sanctum, tam justum, tam potentem, tam liberalem, tam bonum.

O. A. M. D. G.



FELIX PRIMÆ AD COELUM VIÆ TERMINUS.

MEDITATIO II.

ARGUMENTUM.

PRima Meditatio in Joſepho oſtendit viam ad Cœlum per Innocentiam, ambulando nempe ſemper in Timore DOMINI: altera oſtendet in eodem Joſepho ſtantem in viæ & vitæ termino innocentem, & in luctuoſa illa aliis hora ſecurum, ac eò minùs in morte timentem, quò magis in vita DEUM timuit; juxta Divinum Oraculum, quod pro Meditationis noſtræ teſſera aſſumpſimus: *Timenti Dominum bene erit in extremis. Eccl.* 1. *v.* 13.

PER-



PERSONÆ.


Joſephus.

Benjaminus, *Joſephi Frater.*

Rameſſes, *Pincerna Regis, Joſephi amicus intimus.*

Manaſſes, } *Filii Joſephi.*
Ephraim, }

Theagenes, *Filius Amaſis, unius è Proceribus aulæ.*



PARS PRIMA.

INDUCTIO PRIMA.

Manasses. *Benjaminus.*

Manasses. DIxi, Patrue Benjamine: exspectatus advenisti. Accede modò Pro-Regem, jam de tuo adventu præmonitum., - .- Quid hæres? *Benjam.* Hæreo, fateor, nec quid sentiam, satis video; ita me vix urbem, & has ædes ingressum terrent, & turbant omnia. *Man.* Quid ergo terret? *Benjam.* Quid sibi vult publicus urbis luctus? quid mœstum ubique silentium? quid insolita in ipso Pro-Regis Palatio solitudo tali die, quam festâ lætitiâ celebrare tota Memphis, imò tota Ægyptus à tot annis consueverat? an fortè temporum calculus me fefellit? an non hæc dies anniversaria, qua Parentem tuum, Fratrem meum Josephum Divina Providentia è carcere ad Pro-Regis solium evexit? *Man.* Est omnino hæc dies, olim jam Josepho faustissima. *Benjam.* Cur ergo

non

non colitur more solito? cur non, ut annis præteritis, Pro-Regi suo Ægyptii applaudunt? - - Quid suspiras? quid rerum demum agitur? an triste aliquid Josepho accidit? *Manass.* Si Josepho Vati semper veracissimo credamus, novam hæc dies illi felicitatem offeret; præterita majorem. *Benjamin.* Cur ergo tota Memphis, cur tu ipse, Manasses, tantam vultu tristitiam præfers? *Man.* Dixi: Pro-Regem accede, plura ex ipso audies.

INDUCTIO SECUNDA.

Manasses. Benjaminus. Josephus.

Manasses. Verende Genitor, præsentem demum vides Benjaminum tuum. *Benjam.* E terra Gessen huc missus, meo, & Fratrum nomine exosculor Pro-Regis pedes; & votis communibus gratulor recurrentem diem felicissimam, & anniversariam Libertatis, & Dignitatis tuæ: atque ut pro totius Ægypti, & nostræ præsertim Gentis, bono Pro-Regis solium diu Josephus occupet, ex animo precor, & mecum precantur etiam Fratres, servi tui. *Joseph.* Falleris, Benjamine: non est hæc dies anniversaria, sed prima Libertatis meæ. Sum adhuc exul, sum ad-

adhuc captivus, sum adhuc in carcere, sed hodie demum liber futurus. *Benjam. ad Manass.* Quid Parens loquitur? *Jos.* Jam video optatos Patriæ fines: jam suavissimus Genitor ad suos me amplexus invitat. *Benj.* An præ seniodelirare Josephus incipit? aut adhuc in carcere hærere se somniat? *Man.* Utinam deliraret, aut somniaret tantùm! *Jos.* Recede nonnihil, Fili; dum solus soli Fratri ultima ad Fratres monita committo. *Benjam.* Ultima? *Man.* Ramesses stat ad fores, & Pro-Regis alloquium petit. *Jos.* Admitte amicorum intimum. Tu interim, Benjamine, hæc perlege.

INDUCTIO TERTIA.

Ramesses. Benjaminus. Josephus.

Ramesses. Ignosce, Pro-Rex, Ramessi, si, qui primus esse debuerat, fortè inter postremos adsit, ut Pro-Regi festam hanc diem gratuletur: etsi publicam hodie lætitiam suspenderit infirmitas tua, quam tamen, ùt speramus, brevì depellet ars Medicorum, quos præstantissimos tota Ægypto convocari Rex jussit. *Jos.* Grates favori Regio. Cæterùm etiam absque Medicorum arte brevì morbo, & infirmitate omni liberum me fore confido.

fido. *Rameſſ.* Ita optat, & precatur Ægyptus tota, templis in omnibus hodie Superis pro ſuo Pro-Rege ſupplex. *Joſ.* Ita mihi promittit Cœlum ipſum. *Rameſſ*, Cœlum ipſum quid, Pro-Regi promittit? *Joſ.* Proximam immunitatem à morbis omnibus, & vitam hactenus actâ beatiorem, & diuturniorem. *Ram.* Et quo hæc augurio vel oraculo? *Joſ.* Oraculo fallere, & falli neſcio, ore Divino. *Rameſſ.* Nunc demum reſpiro. Vatem te, Joſephe, veraciſſimum ipſe dudum expertus ſum in cauſa mea: lubentiùs tibi credam hodie in cauſa tua, Jámque tibi, & mihi, & toti Ægypto denuo gratulor. Quin ſinas, tam lætum augurium illicò Aulæ, & Regi referam, de Joſephoſuo unicè ſollicito. *Joſ.* Refer Regi & has litteras, quibus hoc oraculum clariùs, & pluribus explicatur. *Rameſſ.* Nil gratiùs, & lætius Aulæ ac Regi afferre potero. Moras abrumpo. Vale interim, Pro-Rex, dum brevi te reviſam. *Joſ.* Vale amicorum intime, & vale æternùm.

INDUCTIO QUARTA.

Joſephus. Benjaminus.

Joſeph. Legiſtin' hæc Frater? *Benjam.* Legi; ſed nec lecta, nec dicta, nec te,

nec me ipsum capio. Quid de salute ultima, de sepulchro, de transferendis ossibus tuis ad Fratres scribis? an vicinam jam mortem tibi auguraris? *Joseph.* Non mortem, Frater, non mortem, sed transitum ab exilio in Patriam, à carcere ad libertatem, à vita misera ad beatissimam exspecto. Sentio adesse optatam horam, quæ corporis ergastulo solutam animam in veram libertatem emittet. Adhuc hodie in sinu Abrahæ inter felices Progenitorum animas recumbam; ab omnibus curis, omnibus humanæ vitæ miseriis, &, quod optimum, omnibus peccandi periculis æternùm liber. Hanc igitur tam felicem diem & horam Frater, Fratri gratulare. Quid ingemiscis? quid attonitus adstas? si luctum tibi, & lachrymas in morte Fratris natura imperat, luge; sed non in conspectu meo; nec ea, quibus jam fruor, solatia tuo luctu perturba. *Benjam.* Si lugere Benjaminum prohibes, patere, ut discedat. *Joseph.* Recede ergo nonnihil; dum animum collegeris, ad me redibis.

Solus interim colloquar
DEO meo.



IN-

INDUCTIO QUINTA.

Manasses. Benjaminus.

Manasses. Benjamine, Patrue, quid gemis? quid vultum avertis? quid tibi Josephus Frater? an demum intelligis, cur hac die lachrymis madeat Manassis facies? in morte Patris, & tanti Patris miraberis, filium lugere? *Benjam.* In morte Fratris, & tanti Fratris, cur Benjaminus gemat, interrogabis? *Manass.* Quia gemere, & lugere nos ipse moriturus prohibet. *Benjam.* Nondum me capio, nec Josephi animum. An verò & tu credis, certam, & proximam Parenti mortem imminere? *Manass.* Non crederem, nisi id ipsius constanter affirmaret Parens, Vates hactenus nunquam fallax. *Benjam.* Ah! date Superi, hodie saltem fallax Vates sit Josephus. *Manass.* Optarem & ego, sed - - Unicum in tanto luctu salatium nobis afferre potest ipsa morientis Josephi constantia, & animi tranquillitas. *Benjam.* Admiranda sanè in hora aliis omnibus, præsertim Magnatibus tam tristi, tam fatali. *Man.* Hanc nempe animi serenitatem Josepho parit secura conscientia, & spes firmissima beatæ immortalitatis. *Benjam.* Fe-

lix hoc animo etiam in morte Josephus; sed nos eò infeliciores, tanto Patre, & Fratre orbandi.

INDUCTIO SEXTA.

Theagenes. Manasses. Benjaminus.

Theagenes. Ah Amice! solatium aliquod afflictissimo asperge *Man.* Ab afflicto quid solatii speres? *Theag.* Mortem, eheu! & mortem jam vicinam Parenti meo Amasi Medicus indixit. *Man.* Hanc etiam Parens meus sibi proximam auguratur. *Benjam.* Sic una die Magnates geminos mors invadit, nec Aulam reverita. *Man.* Tu verò cur Patrem moriturum deseris? cur domo excedis? *Theag.* Quia non sustineo in tantis doloribus, & angoribus videre Patrem. Miserandum in modum se torquet, gemit, ejulat, Nunc trepidat, nunc sudat, nullum audito mortis nuntio solatium admittit. *Man.* At Parens meus inter mortis confinia solatio abundat. *Theag.* Deposuimus ægrum in lecto splendido, in cubiculo aulæis, picturis, aurea & argentea supellectile Regium ad luxum exornato: his ille visis acriùs torqueri cœpit, & ingemiscere: ergóne, exclamavit, ergóne deserenda mihi hæc omnia? Sic

me

me à tantis opibus, honoribus separat amara mors? *Benjam.* Majora quàm Amasis bona Pro - Rex possidet, & tamen quàm promptus omnia deserit: non ille mortem amaram queritur, sed ùt amabilem invitat. *Man.* Quia his majora & meliora bona exspectat in orbe altero. *Benjam.* Futurorum spe etiam Amasis se consoletur. *Theag.* Spe futurorum in orbe altero? hæc ipsa Parentem meum in extremas conjiciunt angustias; neque tam mortem timet, quàm post mortem futura. *Man.* Futura post mortem Amasis timet? Tamen immortalem animam, & æternitatem vix unquam credidit: certè res alterius orbis inter fabulas numeravit, aut saltem contempsit. *Theag.* In vita, fateor, parùm de futuris post mortem sollicitum Parentem vidi; sed jam aliter sentire incipit: pallore ac terrore suo satis fatetur, se tandem credere, & contremiscere ad ea, quæ olim ludibrio, & contemptui habuit. Me miserum, exclamat identidem, me miserum! me miserum! ergo è vivis abeundum? & quò? heu! quò abeundum? *Benjam.* Nempe mors oculos animi demum aperit, dum oculos corporis claudit. *Man.* Utinam non serò nimis. *Theag.* Omnia denique præsentia, præterita, & futura Amasi horrorem incutiunt,

funt. Ea ipsa ; quæ nuper maximè amaverat, jam maximè aversatur, & execratur. *Benjam.* Quàm diversa sunt ejusdem hominis in vita, & morte de rebus omnibus judicia? *Man.* Meum quidem Parentem nec præterita, nec præsentia; nec futura perturbant! ex omnibus in morte solatium capit, quia ex omnibus, & in omnibus præter DEUM quæsivit nihil. *Theag.* Ergo mortem non timet Josephus, aliàs pavidus semper & scrupulosus? *Benjam.* Non timet, quin & avidus invitat. *Man.* Propone, Theagenes, Parenti tuo hoc exemplum Pro-Regis, in morte tam impavidi. Probro sit Amasi, aliàs tam audaci hominum & Superûm contemptori, tam ignavum animum in morte ostendere. *Theag.* Ita est. Quid dicent homines? quid Aula? redeo ad Patrem; moneo, ut si mortis timorem non potest excutere, saltem studeat tegere, & ita famæ posthumæ consulere. *Benjam.* Ita Amici, ita & ipsi Filii cum Parentibus agunt; de fama tantùm, non de morientis anima solliciti. *Man.* Quin & ipsi sæpe morientes non tam solliciti sunt, ut bene moriantur, quàm ne hominibus videantur malè mortui. *Benjam.* Miser Amasis! *Man.* Felicior utique Parens meus, qui cùm DEUM

sem-

ſemper in vita timuerit, in morte jam timet nihil. *Benjam.* Felix utique; dixi, felix hoc animo etiam in morte Joſephus: at nos eò infeliciores tanto Patre, & Fratre ſpoliandi.

INDUCTIO SEPTIMA.

Ephraimus. Benjaminus. Manaſſes.

Ephraimus. Adhuc lugetis? *Benjam.* An tu non luges Ephraime? *Manaſſ.* Aut ubi hæres deſerto Patre? *Ephraim.* Patris imperia implevi, largam pauperibus ſtipem mea manu juſſus diſtribuere, viduis præſertim & pupillis, quorum preces Parens efflagitat pro ſanitate recuperanda. *Benjam.* Joſephus pro ſanitate recuperanda preces efflagitat? *Manaſſ.* Malè intellexeris verba, Frater: non pro recuperanda corporis ſanitate, ſed pro felici, & veloci ad vitam meliorem tranſitu preces expetiit. *Ephraim.* Quis pro feſtina Joſephi morte preces fundet? omnes votis longè contrariis cœlum pulſant. Reſonant non templa modò omnia, ſed & domus, & plateæ ſupplicum vocibus: ſuo quique ritu, quos colunt, Superos implorant, ut communem omnibus Parentem, & Ægypti totius, ut vocant, Salvatorem Joſephum diu ſalvum,

&

& superstitem conservent. Tot, pupillorum præcipuè, innocentes lachrymæ, & voces lamentabiles non possunt cœlum non movere. Spem firmam concipio: donabit Deus tot populorum precibus Pro-Regis vitam. *Manass.* Sperarem & ego, nisi Parens ipse - - *Benj.* Felix iterum Josephus, quem adeò amant subditi, in cujus morte tota Ægyptus luget, solus ipse non luget. *Ephraim* Age Frater, totius Ægypti precibus jungamus & nostras ad Deum Israëlis preces. *Benjam.* Ite, preces, & vota concipite; ego ad Josephum redeo animo jam magis erecto. Saltem à Fratre discam mortem, si non amare, minùs tamen timere.

PARS ALTERA.

INDUCTIO PRIMA.

Benjaminus. Josephus.

Benjam. FRater, si quidem hoc potiùs, quàm Pro-Regis nomine à me appellari postulas, fateor extremum, quo obruor, luctum, levat tanta in morte, quam vicinam exspectas, constantia: & piè tibi invidere incipio tantam in suprema hora tranquillitatem, tam sui securum,

curum, tam omni metu solutum animum. *Joseph.* Cur enim metuam? nunc demum metu omni liber esse incipio. Nullus mihi ultra timendus fortunæ casus, nullæ æmulorum machinæ, nullæ insidiæ, nullæ mortalis vitæ miseriæ, &, quæ semper timebam maximè, nulla, nulla ampliùs in Deum optimum peccandi pericula. *Benjam.* Eximit quidem mors hominem omnibus humanæ vitæ miseriis; sed tamen timere omnes solemus si non mortem, saltem ea, quæ mortem consequuntur: severum nempe Dei Judicis Tribunal, & incertam sententiam, ex qua pendet æternitas. *Joseph.* Timerem, & ego hoc Tribunal Dei, si gravioris criminis reum mea me accusaret conscientia. Nunc quia Legislatorem Deum semper in vita timui, in morte non timeo Judicem. *Benjam.* Felix hæc conscientiæ securitas; admiranda tamèn in viro tot peccandi occasionibus semper exposito, tot periculosissimis Regni negotiis involuto. *Joseph.* Mea certè conscientia me non lancinat, etsi in vitam omnem anteactam studiosè inquisiverim. *Benjam.* Scio, hunc tibi constantem morem fuisse, ut quotidie etiam inter gravissima Regni negotia conscientiam discuteres, & deprehensos etiam minimos errores coram Deo
desle-

defleres. *Joseph.* Hinc modò eò sum securior. Infelices illi, qui reddendam Domino rationem in horam supremam differunt; mihi verò quantam securitatem in morte jam affert hæc quotidiana conscientiæ in vita discussio? *Benjam.* Maximum hoc utique morienti solatium. *Joseph.* Age tamen, Frater, denuo in vitam omnem breviter inquiramus. Tu memoriam adjuva, ut, si quæ forsan latens culpa animum fefellisset, & hanc ante mortem sinceris lachrymis, & corde contrito deprecer. *Benjam.* Noli, Frater, fractas corporis, & animi vires tali examine fatigare. *Joseph.* Non fatigatur animus, sed recreatur, dum, quidquid gravare conscientiam posset, deposuit. *Benjam.* Scio, te jam in paternis ædibus innocentissimis moribus fuisse: ita sæpe mihi Pater, ita & Fratres, licèt invidi, narrabant. *Joseph.* Hoc Parentibus debeo, qui me à teneris docuerunt DEUM timere, Parentibus obedire, Fratres amare. *Benj.* In Ægyptum abductus inter idololatras, & diu etiam inter mancipia, hominum genus Virtuti & Innocentiæ maximè inimicum versari cogebaris; sed satìs novi, te semper ab eorum moribus, & ritibus abhorruisse. *Joseph.* Multa utique inter hanc hominum fœcem audire, & videre

debui

debui indignissima; at non in hominum exempla, sed Dei Leges oculos conjeci. Deum mihi præsentem statui. Hunc unum plùs, quàm homines, timui. Huic uni plùs, quàm hominibus, placere studui. *Benjam.* Et hoc tibi jam magno potest esse solatio. *Jos.* Est utique: quid verò jam sentirem, si, ut placerem hominibus, Deo displicere non formidâssem? Sed perge. *Benjam.* Oeconomus totam Putipharis familiam gubernâsti, omnibus tibi concreditis, ignorante Domino, quid haberet in domo sua.' Tam periculosum tamen officium, in quo tot fraudum occasiones & illicia, fide optima administrâsti. *Joseph.* Deo sint laudes; nullius commissæ fraudis mihi sum conscius, nihil è bonis Domini per avaritiam mihi retinui, nihil indignè in alios prodegi, nihil per incuriam neglexi, nihil debitæ mercedis aliis detraxi. *Benjam.* Liberalis forma & indoles multorum amores juveni conciliârunt: placuisti oculis. *Joseph.* Placui oculis, quibus minimè volebam: multis tentatus insidiis, blanditiis, muneribus, promissis & minis. *Benjam.* Sed vincula maluisti induere, quàm Innocentiam exuere, & carceres subire potiùs, quàm in Deum tuum peccare. *Joseph.* Et hoc quàm feliciter?

quantum mihi solatium jam parit hæc peccati fuga? ô beati carceres! ô beata vincula pro Deo, & Innocentia tolerata! *quàm bene, ô Frater, quàm bene est in extremis semper timenti Dominum.* ***Benjam.*** E carcere demum ad Pro-Regis solium evectus inter tot populorum obsequia, & Aulæ adulationes, quàm integrè, quàm sine ambitione, sine proprii commodi cura, Regis, & Regni bonum curaveris, tota Ægyptus testatur. ***Jos.*** Melior tota Ægypto testis mihi Deus est, & propria conscientia. Studui servire Regiis commodis, sed ita, ut simul prodessem populo. Cavi, ne debitis stipendiis fraudarentur meriti, ne opprimantur pupilli, ne munera acciperem super innocentem. Hinc Deo & Regi actorum rationem securus reddam. Non timeo, Frater, non timeo in morte, quem semper in vita timui, Deum Judicem, imò lætus exspecto Remuneratorem. *Quàm bene, ô Frater! quàm bene mihi modò est in extremis.* ***Benjam.*** Felicem te, Fratrem, sed nos Fratres tuos miseros - - ***Joseph.*** Monui, luctu abstine. Filios meos voca, ut illis ultimùm bene precetur Parens.


INDUCTIO SECUNDA.
Benjaminus. Rameſſes.

Benjaminus. Nunc ite lachrymæ, & corde compreſſus dolor erumpe. Neque te, Magne Iſraëlis Deus, cujus adoro nutus, offendat juſtus utique Fratris luctus in morte talis, & tanti Fratris. *Rameſſes.* Benjamine, qualis hodie Frater tuus? aut quid - - *Benjam.* Accede, intelliges plura. En patet aditus.

INDUCTIO TERTIA.
Rameſſes. Joſephus.

Rameſſes. Quid agis Pro-Rex? an Regem, an Rameſſem hodie Joſephus ludit? quamquam, ô utinam Regem luſiſſes, quàm lubens tibi ignoſceret? *Joſ.* Nec Regem, nec Rameſſem hodie Joſephus ludit. *Ram.* Regi nunquid per litteras te adhuc hodie moriturum affirmas, & ultimum vale dicis? *Joſ.* Ita eſt, Regi vale ultimum dixi, & filios commendavi. *Ram.* Et mihi tamen paulò ante affirmâſti, te adhuc diutiſſimè victurum. *Joſ.* Etiam hoc, Amice. Non moriar, ſed vivam. Qui enim Cœli Domino fidelis ſervit, etiamſi mortuus fuerit, vivet,

& vitam beatiorem, & diutiſſimam vivet, nempe æternam. Et ad hanc vitam tranſibit adhuc hodie Joſephus. *Ram.* Avertite Superi tantum ab Ægypto malum! ſeptennali denuo fame, bello inſuper & peſte Patriam punite; ſolum nobis Joſephum Pro-Regem ſervate. *Joſ.* Parce talibus, & tam injuſtis votis, Amice, *Ram.* Quin vota hæc ſunt ipſius Regis. Regni dimidium mavult perdere, quàm Joſephum. Litteris tuis extremè perculſus nova per aras omnes ſacrificia indixit pro avertenda Pro-Regis morte. *Joſ.* Diis profanis pro me ſacra litanda indixit? *Ram.* Etiam Iſraëlis Deo mille victimas Rex vovit immolandas, ſi Joſepho vel ad annum unicum vita prolongetur. *Joſ.* Non ad annum duntaxat unicum, ſed ad totam æternitatem Joſepho vitam prolongabit Iſraëlis Deus. Vivam, Rameſſes, vivam feliciſſimè in ſinu Abrahæ. *Ram.* Nobiſcum, Joſephe, nobiſcum ut vivas diutius, flagitamus. *Joſ.* Beatius eſt vivere cum Deo, ad quem unum jam concupiſcit anima mea.



IN-

INDUCTIO QUARTA.

Josephus. Ramesses. Ephraimus. Manasses.

Joseph. Adeste Filii, & luctu deposito tandem Parenti discite gratulari. *Ephraim.* Gratulabimur, si, quod speramus, totius Ægypti, & Israëlis precibus emollitum Cœlum nobis parentem, toti patriæ Pro-Regem diutius servabit. *Man.* Servabit verò certissimè, si tot populorum precibus etiam suas Josephus adjungat, semper apud DEUM potentissimas. *Ephraim.* Exora, Genitor, exora spatium vitæ non tibi, sed filiis, & fratribus tuis tam necessariæ. *Ram.* Et toti Ægypto tam pretiosæ. *Jos.* Non est, non est tam necessaria, vel pretiosa Josephi vita. DEUM, Filii, DEUM semper timete, & colite; & habebitis in eo Parentem me longè meliorem & potentiorem. Habebitis post DEUM etiam Patrem in Rege, cui Filios, & Fratres, & totam Israëlis Gentem denuo per te, Ramesses, commendo. *Ram.* Non indigent Ramessis operâ Filii tui, quos Parentis merita dudum Regi commendârunt. Vivas ipsius, sic semper meliùs tuis poteris providere. *Joseph.* Providi satìs. Hæreditatem vobis relinquo,

Filii, & ſatìs amplam, & juſtè partam, & nullis poſt mortem meam litibus obnoxiam, cujus tranquillam poſſeſſionem Regio Diplomate confirmatam videtis. The aurum tamen pretioſiſſimum in hac arcula invenietis. Hanc reſera, Manaſſes. *Manaſſ.* Ah! Genitor, non hæreditatem, non theſauros, ſed vitam tuam diuturniorem ſuſpiramus. *Ephraim.* Hæc utique omni theſauro Filiis charior. *Joſeph.* Reſera, inquam. *Ram.* Quid hæc vilis lacernula? quid hæ catenæ? *Ephraim.* Veſtis hæc eſt, qua olim Parens adhuc mancipium induebatur: catenæ hæ ſunt, quas olim in carcere vinctus geſſit. Has ſummo hactenus ſtudio aſſervavit in ſortis ſuæ memoriam. *Joſ.* En Filii: hæc vilis lacernula mihi morienti pretioſior apparet, quàm Pro-Regis purpura; hæ catenæ gratiores, quàm hi torques aurei. Cum his vinculis lætus apparebo non ùt reus coram Judice, ſed ùt ſervus coram Domino, qui fidelis eſt in retribuendo. Hæc vos vincula, Filii, ſervate ùt theſaurum optimum, & Patris exemplo credite. Nihil in morte magìs conſolari poteſt animam, quàm ſi multa pro Deo, & ſervanda Innocentia ſe meminerit tolerâſſe. Abundo, Filii, abundo gaudio, ſpe vicini præmii immortalis. *Man.* Hoc

præ-

præmium tibi, Genitor, non auferetur: patere modo, ut differatur. *Ephraim.* Junge totius Ægypti lachrymis & tuas ad Deum preces; & vitæ spatium exora. *Ram.* Impetrabis, si volueris: omnia apud Deum potes. *Joseph.* Jam preces plurimas ad Cœlum fudi, & exauditas sentio. *Ephraim.* Pro vita proroganda? *Joseph.* Pro felici, & proximo ad vitam meliorem transitu. *Man.* Ah! corrige hæc vota, Genitor, miserere pupillorum, miserere Fratrum, & totius Gentis tuæ. *Ram.* Miserere, si non Ægypti, saltem Regis de te tam bene meriti, & in tuo discrimine afflictissimi. *Jos.* Miserebitur mei, & vestrûm omnium misericors Cœli Dominus, ad cujus amplexum propero, pro Filiis, pro Fratribus, pro Rege, & Ægypto tota potentior, quàm in terris, futurus intercessor. Accedite, Filii, ut ultimùm vobis bene precetur Parens. Deus, in cujus conspectu ambulaverunt Patres nostri, qui pavit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, & Angelus ejus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat Ephraim & Manassi, & faciat illos ambulare in via Patrum recta, & Omnipotens benedicat vobis benedictionibus Cæli desuper, & benedictionibus abyssi jacentis

 deor-

deorsum. Jam ite, & valete, Filii. Olim denuo conveniemus in sinu Abrahæ. Tu quoque Ramesses, ultimum ab amico amplexum accipe, & vale ultimùm. Pro-Regis insignia, quæ annis abhinc octoginta hac die à Regis manibus accepi, hac ipsa die per te in manus Regis depono, meliorem purpuram, nempe stolam immortalis gloriæ à Deo accepturus. *Ram.* Ah Pro-Rex! *Man.* Ah Genitor! *Jos.* At Frater Benjaminus ubi? *Ephraim.* Benjamine, Fratri interim assiste, dum nos foris dolori liberiùs frœna laxemus. *Manass.* Revoca nos tamen, ubi cœperit Parens agonizare.

INDUCTIO QUINTA.

Ramesses.

Ramesses. Plangite, Filii, plangite jacturam tanti Patris: mihi mentem, & sensum doloris eripit admiratio. Qualis hic Israëlis Deus, qui tantum animi, tantum solatii suis in hora aliis tam fatali? aut quæ hæc Josephi in Deum suum fides? quæ firma spes, quis ardens amor? nec mortem timet, nec vitam amat; imò despicit, & meliorem securus exspectat: tot opes, dignitates, omnia terræ bona, quibus abundabat, lætus deserit solo Deo

suo

ſuo contentus. O felix animus, tali fide ad ſupremam luctam armatus, tali ſpe munitus, tali amore inter mortis frigora accenſus!

INDUCTIO SEXTA.

Theagenes. Rameſſes.

Theagenes. Ah Rameſſes! quò nunc confugiam pupillus miſer? *Ram.* An jam exſpiravit Parens? *Theag.* Tædet, & pudet me Parentis talis. *Rameſſ.* Nempe exſpiravit more pecudis: nunquid? *Theag.* imò more furentis beſtiæ. Conjugem, & filios diris inceſſens juſſit faceſſere. Vos, inquit, vos me æternùm perditis: ut conjugem veſtirem ſuperbè, ut filios nutrirem delicatè, tot injuſtas opes corraſi: quibus tamen jam nec ego, nec vos fruemini: omnia vel creditores, vel Regius fiſcus auferent. Patebunt fraudes, ubi Rex poſt mortem meam Accepti, & Expenſi rationes examinabit. Ibitis vos miſera mendicabula in exilium. Ego jam abeo ad tartara. *Rameſſ.* Funeſta mors! condoleo juſto dolori tuo: ſed ſpem concipe in Regis clementia: benignus, & liberalis eſt in viduas & pupillos, eos præcipuè, quorum Patres Regi ſervîerunt. *Theag.* Ita omnino: benignus eſt, ſed in eos, quorum Patres

Regi fideliter servierunt: in nobis verò etiam commissas à Parente fraudes vindicabit. Jam obsignata Sigillo Regio in domo nostra omnia. Nos bonis omnibus spoliati, Aula ejecti, quò miseri ibimus? *Ramass.* Magnatum vobis patrocinia quærite. *Theag.* Considerem in Pro-Regis erga nos clementia, & apud Regem potentia; sed hic ipse jam morti proximus. *Ram.* Et Filii ejus pariter pupilli. *Theag.* Sed me longè beatiores. Non habent illi, quod à Rege metuant, sed maxima à Rege sperent ob Josephi semper Regi fidelis merita. At meus jam maledictus.


INDUCTIO ULTIMA.

Personæ omnes.

Benjam. Manasses, Ephraim, citò. *Man.* An jam agonizat Parens? *Jos.* Venio, mi Domine, lætus venio: in manus tuas spiritum meum trado. -- *Ephraim.* Exspiravit. *Ram.* O mors toti Ægypto luctuosa! *Benjam.* Sed in conspectu DOMINI pretiosa. *Theogen.* Quàm dissimilis morti Parentis mei? *Ram.* Moriatur anima mea morte Justi hujus. *Benjam.* Vivamus, ùt vixit Josephus, si velimus, ùt Josephus, beatè mori. *Ram.* Tam innocentes? *Benj.* Saltem pœnitentes.

O. A. M. D. G.

SECUNDA
AD
COELUM
VIA
PER
POENITENTIAM.
MEDITATIO III.



PERSONÆ.

Mauritius, *Orientis Imperator.*

Theodosius, *Mauritii Filius Primogenitus.*

Trebellius, *Senatûs, & Populi Byzantini Legatus.*

Magistrianus, *Mauritii Cubicularius.*

Centurio Phocæ.

Tiberius, } *Mauritii Filii natu*
Petrus, } *minores.*

Comites Legati. Satellites.



ARGUMENTUM.

POst ostensam nuper primam ad Cœlum viam *per Innocentiam*, pandimus & alteram *per Pœnitentiam*: non tamen planam, & facilem, qualis pluribus videtur. Multi mortalium ideò minùs à peccato abhorrent, quia illud per Pœnitentiam facilè nimiùm denuo delendum credunt, & elicito brevi de peccatis, etiam gravissimis, dolore, vel accepta Sacramentali Absolutione jam ab omni malo, quod per peccatum incurrerant, se liberatos credunt, nihil de ulteriori pœnitentia, & delendo etiam pœnæ reatu (ut cum Scholis loquamur) solliciti. Errorem hunc dedocere studebit præsens Meditatio, quæ Mauritium pœnitentem proponit.

Mauritius Orientis Imperator, Princeps cætera laudatissimus, & de Ecclesia, ac Imperio diu optimè meritus, in eo demum gravissimè deliquit, quòd multa

subdi-

subditorum ab hostibus captorum millia, quos tenui lytro liberare poterat, turpi avaritia victus Barbarorum gladiis mactandos reliquerit: seria tamen delicti pœnitentia ductus peccatum suum non modò deflevit, sed id etiam supplex multis precibus expetiit, ut pœnas culpæ, etsi jam defletæ, adhuc debitas, in hac potiùs, quàm altera vita à se Deus exigeret. Exin concitante Phoca, rebelli Centurione, totus exercitus, mox & populus ab Imperatore subitò defecit. Mauritius cum Conjuge & Prolibus vix occultâ fugâ Byzantio, (quæ tum sedes erat Imperatoria) elapsus in Orientem profugere conabatur; sed postquam in sinum Nicomediæ venisset sæva tempestate, & morbo insuper deterritus, ibidem à Phocæ satellitibus intercipitur, & eodem jubente Tyranno unà cum Conjuge & Filiis, pariter è fuga retractis, securi subjicitur. Tam grave supplicium Mauritius non ùt à Tyranni, sed à Dei manu tanquam peccatis suis debitum, sibi inflictum agnovit, & animo verè pœnitenti sustinuit, ad singula Filiorum suorum, qui ante Patrem necabantur, funera id unum reponens: *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum. Nicephorus l. 18. & 19. Baronius, aliique tum Ecclesiastici, tum profani Scriptores.*

PAUS



PARS PRIMA.

INDUCTIO PRIMA.

Mauritius. Theodosius.

Theodosius. HÆc casa demum Augusti sit palatium? hæc storea Cæsareus thronus? ô Phoca improbe! ô rebelles milites! ô infidi cives! *Mauritius.* Pone has querelas, Fili: quid Phocæ, quid militibus, quid civibus indignaris? *Theodos.* Non indigner improbo mancipio, quod Dominorum coronas & sceptra invasit? non rebelli militi, qui suos in Cæsares arma strinxit? non infideli civi, qui suos Principes in extrema necessitate tam turpiter destituit? Orbis imperio horâ unicâ dejecti, exules, fugitivi, nec à subditis nostris tuti, errare per deserta cogimur Augusti Cæsares: & non conquerar? non indigner? *Maurit.* Dixi: non Phocæ, non militibus, non civibus indigneris Fili, sed mihi Parenti tuo; mihi & meis criminibus indigneris. Ego ipse mihi, tibíque

Sce-

Sceptrum & Thronum eripui: Ego te, & omnes meos in hanc, quam patimur, miseriam conjeci: dum peccatis meis justam Dei iram in nos provocavi. Agnosco, quod olim David, cùm fugeret à facie Absalon, & malediceret ei Semei, agnovit, dicens: * *Dominus præcepit ei, ut malediceret David.* Idem, inquam, agnosco: *Dominus præcepit* Phocæ, *Dominus præcepit* militibus, *Dominus præcepit* civibus, ut maledicerent, & malefacerent Mauritio. *Theodos.* Rebellionem tam impiam Deus præceperit? *Maurit.* Hoc est: ita ordinavit, & justissimè statuit ille Supremus omnium regnorum Dominus, meo scelere irritatus; ut regnum, quod mihi olim concesserat, indignè administranti denuo eripiatur, ut transferatur. *Theodos.* In longè indignissimum? in manus vilissimi mancipii? *Maurit.* Hoc nempe flagello uti voluit Deus, quo peccantem Mauritium castigaret. Cœlum, O Fili, Cœlum nos ferit per manus hominum etiam improborum. Agnoscamus igitur, & adoremus supplices hanc supremi Numinis ferientem dexteram. *Theodos.* O gravem dexteram! *Maurit.* Gravem; sed justam. *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.*

* 2. Reg. c. 16. v. 10.

IN,

INDUCTIO SECUNDA.

Mauritius. Theodosius. Magistrianus.

Magistrianus. Auguste. Inveni tandem vicino in littore fidam ratem, quæ hac nocte Cæsarem ex hoc loco malè tuto in securiorem portum deducet. Adest etiam vicinas inter arbores, quem herì constituimus, mercator Persa, Theodosio Principi fidus in Persiam ductor futurus. *Theodos.* Ergo non simul ibimus, Genitor? *Maurit.* Non simul ibimus; ne uterque simul in manus Tyranni incidat. Et me quidem corporis infirmitas jubet proximum quodcunque asylum petere: tu verò, Fili, ùt herì statuimus, ibis in Persiam ad Regem Chosroëm. Amicus hic noster est, & summo dudum beneficio Mauritianæ Domui obstrictus; quem olim à rebellibus regno pulsum, meis opibus & viribus restitui. *Theodos.* Sic aliis regna dedimus, nostra amisimus. *Maurit.* Sic Cælum voluit. Sed ut amissa denuo recuperemus, idem Rex Persiæ laborabit, & quod à nobis beneficium accepit, non ingratus reddere studebit; aut saltem, quod olim apud Mauritium fugitivus invenit, jam fugitivo Mauritii Filio non negabit. *Theod.* Sic apud Bar-

baros cogimur asylum quærere, quod nostros inter subditos non invenimus? *Magistr.* Indue modò has vestes, Princeps; his tectus sequere ductorem Persam. *Theodos.* Vestes serviles Cæsaris Filius? *Magistr.* Sic exigit præsens fortuna, & major securitas tua. *Theodos.* O Phoca improbe! ô rebelles milites! ô infidi cives! quò nos adigitis? *Maurit.* Iterum Phocæ, militibus, civibus indignaris Fili? Dixi, mihi & peccatis meis potiùs irascere, vel illacrymare: Hæc ad præsentem & miserum hunc statum nos redegêre. Cape interim has ad Chosroëm litteras; cape & Imperialem hanc Gemmam, quam tibi unà cum jure ad Imperium relinquo, si fortè gravius quid in me statuat meis sceleribus meritò iratus Polus. *Theodos.* Te sic jubente, Genitor, à te divellor; sed, ùt spero, brevì Persicis cum copiis redux ad Byzantinum Thronum denuò reducam Patrem, & de Tyranno, de milite, de cive & populo rebelli dignam læsis Cæsaribus vindictam exigam. *Maurit.* Nullam ego vindictam expeto, nisi de meis criminibus: hæc, quoad vitam mihi Cœlum indulgebit, severè in me ipso vindicabo. Vade jam Fili, & vale. *Theodos.* Osculum paternæ dexteræ abiturus rogo. *Maurit.*
Ample-

Amplexum cape, & fortè ultimum. Servate Superi insontem Filium; solum plectite reum Patrem. *Theodos.* Imò me unum potiùs plectite, & tot filiis servate Patrem.

INDUCTIO TERTIA.

Mauritius. Magistrianus.

Mauritius. Sic Cœlum dividit & dispergit Cæsaream Domum. Imperator cum parvis Liberis in deserto; hæres Imperii in servitute, Augusta Conjux & Filiæ, nescio ubi. Omnes certè miseri exules. Sed tamen *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum. Magistr.* Spem bonam Auguste concipe. Conjunget Cœlum denuo Cæsaream Domum. *Maur.* Olim; nempe in Cœlis. *Magistr.* Etiam in terris; & quidem, ut spero, brevi. *Maurit.* Sperarem & ego: neque Phocæ, aut rebellis populi furor Mauritii animum terreret, nisi Cœlum ipsum peccatori Mauritio iratum sentirem. Cœli vis est, etsi justissima; quæ Phocam, quæ populum contra me concitavit, quæ ad desertas has oras, excitata subitò tempestate, expulit, quæ immisso morbo hucusque detinuit in littore tam infido.

Magistr. Fuerit hucusque iratum Cœlum Mauritio peccanti; placabitur denuo Mauritio jam pœnitenti. Davidem, Auguste, cogita, gravissimi criminis, & non unius, reum. Ubi verbum dixit: * *Peccavi*, mox à Propheta audiit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Maurit.* Transtulit peccatum, hoc est: remisit *Culpam*, non *Pœnam* culpæ debitam. Etiam David, postquam pœnituit, postquam tot noctibus stratum suum lachrymis rigavit, postquam panem cum cinere manducavit, & potum fletu miscuit, tamen adhuc peccati pœnam subire debuit, profugus à facie Absolon, & per deserta errare coactus. *Magistr.* Sed brevì denuò solio restitutus. Eandem spem, Auguste, concipe. Si cum Davide peccâsti, jam cum Davide pœnitentiam egisti; jam peccati pœnas dedisti, soliô pulsus, & per deserta profugus. Spera denuo cum Davide ad thronum te revocandum, Cœlo per tuam pœnitentiam jam placato. *Maurit.* Gravia nimiùm sunt Mauritii delicta: tam citò placandum Cœlum, tam levi pœnitentia sperare non non ausim.

* 2. Reg. 12. v. 13.

IN-

INDUCTIO QUARTA.

Mauritius. Magiſtrianus. Tiberius. Petrus.

Tiberius. Auguſte Genitor, quando tandem huc advenient Aulæ noſtræ Proceres? Ephebi? Dapiferi? & reliqua comitum turba? Jam tam diu in hoc loco ſolitario hæremus Cæſarei Principes, omni famulantium obſequio deſtituti. *Petrus.* Imò ego & fame & ſiti jam penè enecatus. *Maurit.* Innocentes animæ! ſuam adhuc ſortem & triſte exilium ignorant. *Tiber.* An orta in mari tempeſtas omnes viæ comites diſperſit, & à nobis avulſit? *Maurit.* Ita eſt, Filii: orta tempeſtas atrox omnes nobis fideles famulos diſperſit, & à nobis avulſit, hoc uno excepto. *Tiber.* Ergo nos ſaltem viam relegamus: redeamus Byzantium ad Aulam. *Petrus.* Ægrè nos jam tamdiu abſentes in palatio Auguſta Mater expectabit. Redeamus ad Matrem. *Tiber.* Quid ſuſpiras Genitor? *Maurit.* Hac nocte, Filii, ſi Cœlum faveat, hac adhuc nocte hinc abibimus. *Petrus.* Cur de nocte? cur non modò? *Tiber.* Saltem interim menſam ſterni jubeas, & cœnam famelicis parari. *Maurit.* Dixi: noctem,

 Filii,

Filii, expectate. Tum hinc discedemus, &, ubi cœnandum, inquiremus. Interim accipite, quo sitim & famem utcunque levetis. *Tiber.* Frustillo hoc jam mucidi panis? *Petrus.* Et potu frigidæ? *Maurit.* Hoc vos hodie contentos esse oportet. *Tiber.* Quid peccavimus, Auguste Genitor, ut tam gravem nobis pœnam imponas? *Petrus.* Veniam genibus submissis rogo, si qua in re inscius offendi Augustum Patrem. *Tiber.* Alio nos modo castiga: famem tantùm, diu nos prementem, leva. *Petrus.* Saltem aliquid vini & panis mitioris præbe Filiis famelicis. *Tiber.* Aut saltem potum lactis. *Maurit. ad Magistr.* Amice, subduc Filios aspectui; non sustineo diutius. - - *Magistr.* Me, Principes, sequamini: providebo, quantùm potero, fami vestræ. *Tiber.* Licétne, Auguste Genitor, saltem à famulo, si quid præbeat acceptare? *Maurit.* Ite; ite.


INDUCTIO QUINTA.

Mauritius.

Mauritius. Sic Imperator Orbis, qui nuper tot hominum millia pavit, qui tot Imperii Proceres lautè quotidie saginavit, non habet hodie, quam suis Filiis

præ-

præbeat, micam panis. Sed, *justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Meretur hac egestate extrema opprimi Mauritius, qui, cùm tanta, tam abundanter à liberali Deo accepisset, his non contentus, plura per nefas petiit, & tot datis à Deo bonis ad Dei dantis contemptum indignissimè est abusus. Meretur tam ingratus in Dominum suum servus non nisi panis mucidi frustillum. Imò ne hoc quidem meretur. Etiam hoc opiparum nimis pro peccatore Mauritio convivium. Ubi cinis, quem pani huic inspergam? Vos oculi lachrymas date, ut potum hunc fletu misceam. Fluite lachrymæ, fluite; non quas præsens egestas, sed serius peccatorum dolor expressit. Dole, Mauriti, dole, non de regno perdito; sed de perdita Dei gratia. Dole, non de injuriis, quas ab ingratis subditis modò pateris; sed de injuriis, quas ipse tuo Domino, Deo Optimo, ingratissimus intulisti. Dole, non Majestatem Cæsaris à rebellibus contemptam; sed Majestatem Numinis à te tam improbè violatam



INDUCTIO SEXTA.

Mauritius. Centurio. Milites.

Centurio. Cæsaris imperio captivum ducere jubeor Mauritium. *Maurit.* Cæsaris imperio? quis Cæsar nisi ipse Mauritius? *Centurio.* Olim in te Cæsarem venerabar: nunc alium cum toto Imperio agnosco Cæsarem, quem suum Dominum etiam Mauritius agnoscat. *Maurit.* Dominum supra se Mauritius nullum agnoscit, nisi unum Cœli terræque DOMINUM. *Centur.* Quem igitur Phocam esse asseris? *Maurit.* Flagellum DEI, & Divinæ Justitiæ satellitem. Per hunc, ùt video, debitas à reo pœnas exigit vindex DEUS, & Mauritium tradit hodie in vestras manus. Hujus unius supremi mei Judicis DEI justissimi arbitrio, non Phocæ imperio, non armis militum, me submitto. Interim vos, ùt Divinæ Justitiæ, non ùt Tyranni ministros, sequor.

Ducite, non quò Phocas, sed quò Divina Nemesis per vos Mauritium vocat.

PARS

PARS ALTERA.

INDUCTIO PRIMA.

Mauritius solus in carcere.

Mauritius. Mauriti! Qualem te ipsum vides? nuper in throno Cæsareo; nunc tetro in ergastulo: nuper tot Regum Dominus; nunc servorum tuorum captivus: nuper in manibus Sceptrum; nunc catenas geris. Sed, *justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Exosculor vincula, quæ Divina mihi manus injecit, ut me his vinculis ad Cœlum trahat. Pronus carceres subeo, qui carceres æternos me promeritum fateor: * *Infernus domus mea est*, &, ** *nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitâsset in inferno anima mea. Justus es Domine*, imò misericors nimis, dum punis me in hoc sæculo, ut possis parcere in futuro. Hìc ure, hìc seca, modò in æternitate parcas.

* *Job* 17. v. 13.

** *Psalm.* 93. v. 17.

INDUCTIO SECUNDA.

Mauritius. Magistrianus.

Magistrianus. Auguste. *Maurit.* Unde huc Magistrianus? *Magistr.* Hanc tristem

nempe à Phocæ satellitibus tandem exoravi gratiam, ut liceat Dominum meum sequi etiam ad carceres. *Maurit.* At Filios meos ubi deseruisti? an & illi in manibus hostium? *Magistr.* Latent adhuc securi in villula; Viri illius optimi, qui suâ te, & nos casâ priùs exceperat, fidei concrediti & commendati. *Maurit.* Has modò innocentes animas Cœlum serva; solum plecte nocentem Patrem. Revertere interim, Magistriane, Filios meos tuæ commendo curæ. Pater sis Patre alio jam destitutis. *Magistr.* Solum ergo in tanta calamitate deseram Dominum meum, Augustum Cæsarem? *Maurit.* Omitte hunc titulum; Peccatorem appella: non enim jam Cæsarem, sed reum vides Mauritium in vinculis, inter carceres. *Magistr.* Video utique, nec sine horrore intueor Majestatem Cæsaream ad ergastulum tam indignè detrusam. *Maurit.* Digna hæc sedes est Mauritio, læsæ Divinæ Majestatis reo. *Magistr.* Fremit animus, dum intueor Augustas manus, quas adorabat orbis, catenis oneratas. *Maurit.* Merentur vincula Mauritii manus, contra DEUM & DEI Leges superbè toties levatæ, vel impiè extensæ. Justus est Dominus, qui rebellem sibi Mauritium in rebellium manus tradidit.

Tu

Tu verò, Amice innocens, hos vita carceres, & libertatem tuam serva, quo potes, modo. *Magistrian.* Tam ingratus sim in meum Dominum, ut, illo in vinculis hærente, servus libertate fruar? Patere, Auguste Cæsar, ut lateri tuo, fidus etiam in carcere, adhæream, &, si quæ possum, obsequia Domino servus deferam. *Maurit.* Novo vulnere me ferit hæc tua in me fides. *Magistr.* Cur vulnere? *Maurit.* Meam nempe in Deum perfidiam mihi exprobrat hæc tua in hominem fides. *Magistr.* In Cæsarem, cujus clementiæ tanta, imò omnia mea debeo? qui, nisi ingratissimus, minus fidei & obsequii exhibere possem? *Maurit.* Vulnus auges. An enim ego non majora debeam cœli Domino, qui me favore tam singulari ad supremum Regni fastigium extulerat? qui tot populos meis nutibus subjecerat? & Orbis dimidii opes in manus meas tradiderat? Et tamen tam liberali in me Domino pro tot gratiis quid reddidi mortalium ingratissimus, nisi injurias? his ipsis, quas mihi concesserat, opibus, & potentia ad audaciorem Divinæ legis contemptum abusus. *Magistr.* Ah Auguste! *Maurit.* Dixi; omitte hunc titulum. Non Cæsar sum, sed peccator, & pec-

catorum graviſſimus, & in Deum ingratiſſimus.

INDUCTIO TERTIA.

Mauritius. Magiſtrianus. Centurio.

Centurio ad Maurit. Redeo, ut, quæ priùs vincula Cæſareis manibus invitus injeci, nunc denuò lætior exſolvam. *Maurit.* An ſponte tua? an juſſus hæc vincula exſolves? *Cent.* Juſſus, promptè obedio. *Maurit.* Et à quo juſſus? *Cent.* A Byzantini Senatûs, & Populi Legatis. *Maurit.* A Byzantino Senatu, & Populo Legati hìc adſunt? *Cent.* Et Mauritii alloquium petunt. Juſſêre interim, ut ocyùs demantur vincula Cæſareis manibus. *Maurit.* Et vos, Phociani ſatellites, quid? - - *Cent.* Senatûs, & Populi Legatis prompti paremus. Hi ſi, rejecto Phoca, Mauritium denuo Cæſarem ſalutârint, primus ego venerabundus ſupplex exoſculabor Auguſtam manum, cui invitus priùs injeci vincula. *Maurit.* Phocam ergo à Senatu & populo denuo rejectum aſſeris? *Cent.* Nova certè Senatûs & Populi Decreta pandent Legati, mox ſubituri. *Maurit.* Audiam, ſed, ùt Imperatorem decet: non in carcere.

IN-

INDUCTIO QUARTA.

Mauritius. Magiſtrianus.

Magiſtr. Auguſte, nunc iterum patere, ut te hoc nomine compellem. Patere, ut primus tibi gratuler è carcere ad ſolium felicem reditum. *Maurit.* Credam ergo ad mentem ſaniorem denuò rediiſſe Byzantinum Populum? *Magiſtr.* Poſito nempe, qui animos excæcaverat, furore, & Phocæ tyrannidem pertæſi Cives legitimum denuo Dominum reſpiciunt, & revocant Mauritium. *Maurit.* Et de Phoca, throni uſurpatore, quid actum credis? *Magiſt.* Aut jam cæſum, aut fugatum, aut certè ſolio dejectum, & ab omni populo deſertum non dubito. *Maurit.* O Cœlum nimis benignum! quàm citò placatus es, ô Deus, Mauritio tam graviter peccanti, tam leviter pœnitenti? *Magiſtr.* Experitur hodie Mauritius, quod olim pœnitens Manaſſes, è carcere ad ſolium revocatus. *Maurit.* Benignè nimiùm, ô Domine, benignè nimiùm mecum agis. *Magiſtr.* At quomodo tu ages cum Populo tuo? an ſupplici, & illatas Cæſareæ Majeſtati injurias deprecanti, veniam facilis dabis? *Maurit.* Cùm Cœlum illatas à me

Di-

Divinæ Majeſtati injurias tam facilè condonârit, tam promptam veniam dederit, an ego eandem populo meo denegem? Veniant, ah! veniant modò ſupplices; invenient in me Cæſarem; nullas injurias, niſi quas ipſe Deo intuli, vindicate jam doctum.

INDUCTIO QUINTA.

Mauritius. Trebellius Legatus. Comites Legati, & Satellites. Magiſtrianus. Centurio.

Trebellius. Triſtes, & magno animi dolore ſubimus vultum, è cujus olim nutibus noſter pendebat ſpiritus. Adhuc agnoſcimus frontis Auguſtæ notas, quam nuper cinctam diademate adoravit Orbis. Memores veteris dignitatis tuæ, dedimus Cæſareæ Majeſtatis memoriæ, quod potuimus: vetuimus, ne catenis ulteriùs graventur manus, quæ nuper ſceptrum, licèt non ſatis dignè, geſtârunt. Reliqua Senatûs & Populi in Mauritium Decreta inviti exequimur. *Maurit.* Senatûs & Populi in Mauritium Decreta? *Trebell.* Horum Judicum in te ſententiam æquo ut animo excipias, adhortor. *Maurit.* Judicum in me ſententiam? *Trebell.* Senatûs & Populi. *Maurit.*

Supplices ego è Senatu & Populo hodie expectabam, non Judices meos. Ipse ego Senatûs & Populi, & vestrûm omnium Judex legitimus. *Trebell.* Judicem nostrûm omnium olim in Mauritio agnovimus. Hodie tamen alium supra se Judicem etiam Mauritius agnoscat. *Maur.* Unus, qui supra Cæsares est, meus etiam Judex est. Supremus ille cæli terræque Dominus, Judex vivorum & mortuorum. Hic, hic, video & agnosco, hic justissimus Judex rebellem suo Domino Mauritium per rebellem Mauritio populum ad debitas pœnas vocat. Hic vobis Justitiæ suæ ministris utitur. Legite itaque sententiam, non quam Senatus aut Populus, cui nullum in Cæsaris caput jus est, sed quam in cœlesti Curia dudum contra peccatorem Mauritium Divina scripsit Justitia; & quam modò per manus hominum decrevit exequi. Audiam, & quidem, ùt reum decet, submissis genibus. Reum enim me profiteor læsæ Majestatis Divinæ, cujus tribunali etiam subjacet Majestas Cæsarum. *Cent.* *Cùm Mauritius Imperium indignè administrârit, ac civium & militum suorum sanguinem turpi avaritia hostibus prodiderit; communi Senatûs & Populi Decreto, Imperio, & omni imperatoria digni-*

ta-

tatis jure privatus, cum Suis omnibus proscriptus, aqua & igni interdictus declaratur. Injungitur simul tenore præsentium omnibus Imperii subditis, ut ubicunque locorum vel Mauritium, vel quemcunque ex Mauritii stirpe latere deprehenderint, ocyùs locorum Magistratui indicent: qui sine mora de reis læsi Imperii supplicium sumat. Mauritius, ejúsque Conjux, Liberi, ubicunque fuerint deprehensi, eodem in loco securi subjiciuntor. Cadavera in undas proximas demerguntor. Capita palo suffigenda Byzantium mittuntor. Ita Senatus Populúsque Byzantinus. - Maurit. Justus es Domine, & rectum Judicium tuum. Cent. Senatûs & Populi sententiæ subscribit Phocas Imperator. Maurit. Nil, cur subscribat, Phocas habet, nec Imperator, nec Judex meus. Ut tamen vim suam habeat etiam in humana Curia hoc Senatûs & Populi Decretum, eidem subscribit etiam legitimus Imperator Mauritius, & subscribit suo sanguine. Ducite ad locum supplicii Cæsarem, jam à se ipso etiam ad mortem condemnatum; non quia hominum, sed quia DEI Legem, à qua nec Principes eximuntur, violavit. *Magistr.* Ah Auguste! *Maurit.* Omitte iterum hoc nomen. Adhuc peccator, adhuc reus coram DEO est Mauritius, & reus infa-

mis

mis mortis. Tu verò, Amice, quem è tot subditorum millibus sibi adhuc fidelem Cæsar in morte conspicit, cape amplexum, quo te, & in te suos Liberos, pupillos, nescio ubi terrarum exules ultimùm stringit moriturus Pater. Si quæ sors illis te jungat iterum, dic meo nomine salutem ultimam amantissimæ Conjugi Constantiæ, olim Augustæ Imperatrici, nunc Viduæ exuli: dic eandem Theodosio Primo-Genito, & Regni, quod mihi nunc eripitur, hæredi legitimo: dic Filiis reliquis Tiberio & Petro, & (qui Patrem vix nôrunt, adhuc in cunis vagientes) Paulo & Justiniano. Fer illis hæc ultima Parentis monita: Matri obediant, peccatum caveant, Deum timeant; docti exemplo Patris, quàm graviter illud vindicare Deus soleat etiam in Magnatibus. Valeant interim, dum, quos in terris non possum, in cœlis denuo Filios amplectar Parens. *Cent.* Si ultimùm amplecti Filios Mauritius cupit, demus hoc illi solatium. *Trebell.* Triste solatium. Concedam tamen: præsentes siste. *Mauritius.* Quid? & Filii mei captivi? Magistriane?

INDUCTIO SEXTA.

Personæ, quæ priùs.

Trebellius. An nôsti horum adolescentum ora? *Magistrianus.* Heu me! Tiberium & Petrum video sanguini immersos. *Mauritius. Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* *Trebellius.* An & hos nôsti? *Magistrianus.* Superi! etiam Paulus & Justinianus. *Mauritius. Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* *Magistrianus.* Tyranni sanguinarii! ita vos Cæsarum Filios? vestros Dominos? infantes innocuos? *Mauritius.* Imò nocentes sunt, quia mei sunt. Mauritii nocentem sanguinem etiam è Filiorum tenellis venis vindex Dei Justitia effusum voluit, & per Filiorum corpora ferit acriùs reum Patrem. Jacetis chara pignora, criminis paterni victimæ. *Magistrianus.* Jacent quatuor tyrannidis victimæ. Attamen superest Theodosius, paternæ, fraternæque cædis vindex olim futurus. *Mauritius.* Vindictam ego nullam expeto: ignosco omnibus, etiam rebelli militi, infido populo, etiam Phocæ Throni mei Usurpatori & Carnifici. Sic & Deus ignoscat Mauritio peccatori. *Trebellius.* Ne debeamus ullum timere vindi-

dicem, ipse etiam Theodosius mox sequetur, imò præibit Patrem.

INDUCTIO ULTIMA.

Personæ, quæ priùs, accedit vinctus Theodosius.

Theodosius. Ah Genitor Auguste! *Mauritius.* Fili, & tu in manu hostium? *Theodosius.* In itinere proditus & interceptus. *Mauritius.* Ita nempe Deus voluit, & statuit. *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* *Theodosius.* At quid hìc video? eheu! *Mauritius.* Patris peccata vides in filiis punita. *Trebellius ad Theodos.* Eandem mox cum Fratribus & Patre subibis sortem. Ita Phocas, ita Senatus & Populus sanxit. *Theodosius.* Quid Tyranno, quid subditis juris in suos Principes? *Mauritius.* Falleris Fili: non Phocas, non Populus, non Senatus, sed supremus omnium Judex Deus & me, & te, & Fratres tuos ad mortem hanc condemnavit: ipsus ego Imperator legitimus & meæ, & tuæ, & Filiorum reliquorum morti subscripsi. *Theodosius.* Ergo moriar, qui hominum læsi neminem? *Mauritius.* Hominum læsisti neminem: sed Pater tuus læsit, & graviter læsit Deum, ac justam Dei vindicis iram in

omnem suum sanguinem provocavit. * *Visitat DEUS peccata Patrum in filios.* Nocens es; quia meus es. Submitte te mecum ferientis DEI Dexteræ, quàm in hoc sæculo in nos severæ, tam propitiæ nobis in altero futuræ. *Theodosius.* Si meo hoc sanguine iratum DEUM Parenti placare potero, dabo; ac simul DEI ac Parentis manum moriturus exosculor. *Mauritius.* Exosculor & ego hunc DEI vindicis gladium: Filiorum sanguine innocuo rubens hauriat & sanguinem nocentis Patris. *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Hic ure, hic seca, modò in æternitate parcas. *Magistrianus.* Justum, sed terribile DEI Judicium! Si tam severa in pœnitentem est Divina Clementia, qualis in peccatorem obstinatum erit Divina Justitia?

* *Num. 14. v. 18.*

O. A. M. D. G.



DE-

DEVIA A COELO VIA PER POENITENTIAM NON VERAM.

MEDITATIO IV.

ARGUMENTUM.

VIam ad Cœlum per Pœnitentiam in ultima vitæ hora se inventuros confidunt plurimi, quia plurimi, etsi malè vixerint, videntur hominibus bene mortui, quorum tamen Pœnitentia tam sera rarò solet esse vera. Pœnitentiam tam inutilem proponet hodierna Meditatio in Antiocho Rege Syriæ, de quo Sacræ Paginæ. *Machab. l.* 1. *c.* 6. *& l.* 2. *c.* 9.

" Antiochus superbia repletus, ignem
" spirans animo in Judæos præcipiebat ac-
" celerari negotium (nempe eversionem
" Jerosolymæ, quam congeriem sepul-
" chri Judæorum se facturum juraverat)
" sed qui universa conspicit Dominus
" Deus Israël percussit eum insanabili &
" invisibili plaga. Apprehendit eum do-
" lor dirus viscerum, & amara interno-
" rum tormenta, ita, ut de corpore im-
" pii etiam vermes scaturirent, ac viven-
" tis in doloribus carnes ejus effluerent,
" odore etiam illius, & fœtore exerci-
" tus gravaretur. Hinc igitur cœpit ex
" gravi superbia deductus ad agnitionem
" sui venire Divinâ admonitus plagâ, per
" momenta singula doloribus suis aug-
" menta capientibus: reminiscor, ait, ma-
" lorum, quæ feci in Jerusalem, & cogno-
" vi, quia ideò venerunt super me mala
" hæc. Submisit etiam se Deo vindici;
" Justum est, inquit, subditum esse Deo,
" & mortalem non paria Deo sentire:
" denique promisit se mala & damna So-
" lymæo Templo & Urbi illata repara-
" turum, Judæornm etiam sacra ample-
" xurum, ac per omnem Ditionis suæ lo-
" cum Israëlis Deum, ejúsque Majesta-
" tem prædicaturum, sícque multis cum
" lachrymis Dei Misericordiam implo-

" rabat,

" rabat, quam tamen non erat consecu-
" turus, sed à suis etiam desertus, per-
" egre in montibus miserabili morte blas-
" phemus obîit.

Exponunt Interpretes Scripturæ, Antiochum duntaxat orâsse & petiisse Misericordiam DEI ad valetudinis, & vitæ bonum consequendum; neque agnoscendo DEUM plectentem, eúmque deprecando veram egisse Pœnitentiam ex defectu veri, & sufficientis doloris: ita Lyranus: *Pœnitentia Antiochi non fuit vera, quia non fuit propter offensam DEI, sed propter evasionem temporalis flagelli.* Quales solent esse gemitus multorum morientium, quos naturalis tantùm dolor de perdenda vita, & bonis temporalibus expressit.





PERSONÆ.

Antiochus Rex.

Sadocus, *è ſtirpe Aaronit. Judææ Gent. Legat.*

Philippus, *Cubicularius Regis.*

Abias, *è ſtirpe Machab. Judææ Gent. Legat.*

Nicanor, *Supremus caſtrorum Præfectus.*

Milites.



PARS PRIMA.

INDUCTIO PRIMA.

Abias. *Philippus.*

Abias. ADeóne mutatus Antiochi Regis tui animus? Legatum me Judææ Gentis nuper ne ad conſpectum quidem admiſit; quin contra jura Gentium in cuſtodia detentum etiam vinculis oneratum, in caſtris ſecum circumduxit; in omnem Iſraëlis populum non niſi flammas, in Iſraëlis DEUM non niſi blaſphemias vibravit. Et modò, ùt ais, à me conſilium ſupplex rogat? *Philippus.* Ita nempe Regis mei animum mutavit mutata ſubitò fortuna. A ſuis penè omnibus deſertus, in terra aliena poſitus, doloribus extremis obrutus, & morti proximus, in uno Iſraëlis DEO ſpem ſibi reſiduam fatetur. Sed rumpe moras, obſecro; accede. Antiochum in Antiocho non ampliùs reperies.

INDUCTIO SECUNDA.

Antiochus. Abias.

Antiochus. Abia. Adhuc nôsti Antiochum? En qualem, & quàm miserum in statum me redegerit Deus vester. *Abias.* Agnoscis ergo, Rex, potentem Dei nostri dexteram? *Antioch.* Sentio utique. Dolens * *reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem*, & ** *cognovi, quia propterea invenerunt me mala ista.* Sed sepone jam illatæ tibi, tuísque injuriæ memoriam: edic, an læsus semel hic Deus vester non potest homini denuo reddi propitius? *Abias.* Potest utique reddi propitius. *Antioch.* An plagam, quâ me percussit iratus, sanare poterit placatus? *Abias.* Poterit utique. * *Quia ipse vulnerat & medetur : percutit, & manus ejus sanabunt.* *Antioch.* Legi certè, quam inter spolia repereram, Regum vestrorum Historiam; legi Davidem, Manassen, Achabum graviter sibi iratum Deum denuo placâsse, & intentatas jam pœnas gravissimas, & mortem ipsam feliciter evitâsse. An & Antiocho sperandum? *Abias.* Si cum Davide & Manasse seriam pœnitentiam agat; si Dei misericordiam humili & contrito corde imploret, nec Antiocho desperandum. *Antioch.* Jam im-

* Machab. 6. v. 12.
** v. 12.
* Job. 5. v. 18.

imploravi; & iterum cum Davide vestro imploro: * *Miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam.* *Abias.* Fateris etiam iniquitates & peccata, quibus DEUM hunc gravissimè irritâsti? *Antioch.* Fateor, & iterum cum Davide dico: * *Peccavi Domino.* ** *Iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contra me est.* *Abias.* Doles etiam talem; tantúmque Dominum offendisse? *Antioch.* Vellem utique non provocâsse contra me Dominum tam potentem, qui, ut video, potest mihi regnum & vitam eripere. *Abias.* Et quod gravius: potest etiam animam mittere in gehennam. *Antioch.* O sævi dolores! O acuta viscerum tormina! *miserere mei DEUS!* *Abias.* Proponis etiam, & firmo animo, nunquam ampliùs peccare, graviter in hunc DEUM? *Antioch.* Non peccabo, non irritabo ampliùs vindicem DEI manum: tantùm modò parcat; leniat dolores; avertat præsentem mortem. Pacem æternam Israëlis Genti promitto. Quid ampliùs à me potest exigere, ut propitius reddatur, Dominus? *Abias.* Rex: est inter comites meos Sadocus, legis nostræ Peritus & Sacerdos: hic meliùs, quàm ego docere poterit; si illum admiseris. *Antioch.* Sacerdotem? *Abias.* Hic in extre-

* Psal. 50. v. 1.

* 2. Reg. 12. v. 13.

** Ps. 50. v. 4.

ma

ma necessitate solus tibi opportuno erit solatio, & auxilio. *Antioch.* Heu me! crescunt dolores: vocate Medicum & Chirurgum. *Abias.* Ego Sadocum vocabo, qui, si non corpori, saltem animæ Regis consulat. *Antioch.* *Miserere mei DEUS!*

INDUCTIO TERTIA.

Abias. Sadocus.

Abias. Quàm opportunè occurris, Sadoce. Gratulare & admirare potentem DEI nostri dexteram. *Sadoc.* Jam admiratus sum DEI nostri dexteram in puniendo Antiocho tam potentem. *Abias.* Magìs eandem admireris in sanando Antiocho tam clementem. *Sadoc.* Ergo à plagis suis denuo sanatus Tyrannus? *Abias.* Sanari incipit: si nondum à plagis corporis, saltem à plagis animæ, jam verus pœnitens. *Sadoc.* Vidi ipsus cadentes è regio vultu lachrymas: audivi ex imo corde expressos gemitus. *Sadocus.* Quos nempe expressêre corporis dolores, & vitæ perdendæ metus. Morientûm lachrymæ nondum testes sunt pœnitentiæ. Sunt lachrymæ crocodilli: dolent & lachrimantur plurimi morituri non ob DEUM aut Cœlum,

ſed ob vitæ hujus delicias perdendas. *Abias.* Sed Antiochus gemit, & dolet ob offenſum Iſraëlis DEUM. *Sadoc.* Agnoſcit ergo, quem hactenus tam ſuperbè contempſerat, Iſraëlis DEUM? *Abias,* Agnoſcit, & ſupplex ejusdem miſericordiam cum Davide pœnitente implorat. *Sadoc.* Miſericordiam in ultima vitæ hora impius implorat? *Abias.* An hanc ſperare non poſſit etiam in ultima vitæ hora? utiq; quàmdiu ſpirat homo, tam diu ſperare, & DEI iram poteſt placare, ſi humiliato & contrito corde ſe ad Dominum convertat? *Sadoc.* An verò Antiochum, credam, ſerio corde ad Dominum converſum? credam, feriò pœnitentem? An tu ipſe credis hominem, per tot annos fœdiſſimis ſceleribus profundiſſimè immerſum, tam ſubitò animum ad æterna elevâſſe? deteſtari jam ſuper omnia, quæ hactenus unicè amaverat; & amare ſuper omnia, quæ hactenus odio & contemptui habuerat? * An *mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas? Abias.* Quod non poſſunt vires naturæ, poteſt vis admirabilis Divinæ gratiæ, quæ lupos in agnos, improbos in Sanctos momento mutat. *Sadoc.* Singularis, & non ordinaria, eſt hæc finalis gratia, quam in morte non meretur Antiochus, qui tot

* *Jer. 13. v. 23.*

gratias,

gratias, in vita oblatas, tam improbè contempsit. *Abias.* Etiam non merentibus conferre hanc gratiam potest miserentis DEI Clementia. *Sadoc.* Potest; at rarò solet. *Abias.* Certè Antiocho hanc gratiam singularem contulit. Percussus à DEO plaga, humanis mediis insanabili, agnoscere didicit, & adorare percutientis manum; fatetur has pœnas se promeritum; detestatur peccatum; proponit, & promittit meliora omnia; denique inter lachrymas DEI misericordiam implorat corde contrito & humiliato, & ad omnia, quæ placando DEO necessaria sunt, parato. *Sadoc.* Prodigium narras Divinæ misericordiæ, si vera narras. *Abias.* Verissima: accede, ipsus explora. Rex pœnitens etiam opem & consilia Sacerdotis flagitat. *Sadoc.* An vocari me jussit? *Abias.* Saltem pronus admittet. Mecum ad Antiochum redi.

INDUCTIO QUARTA.

Nicanor. Abias. Sadocus. Duo Milites.

Nicanor. Sistite. Quid ad Regis tentoria exploratores? *Abias.* Legatos nos memineris, non exploratores. *Sadoc.*

A

A Rege vocati adſumus. *Nicanor.* Vocati à Rege Hebræi, & quidem inter hos Popa? *Abias.* Si fidem nobis non habeas, accede, ipſus interroga. *Nicanor.* Propiùs accedere horreo ad ſemivivum & putridum cadaver. *Sadoc.* Ergo patere ſaltem, ut nos accedamus, & deſertum à ſuis Regem ſolentur ii, quos hactenus immeritos in hoſtium numero habuit. *Nicanor.* Vos ſolari Regem? in graviores nempe anguſtias conjicere tentatis jam præſtigiis veſtris dementatum Antiochum. Jam malis artibus id effeciſtis, ut everſo curru lapſus (qui quidem caſus triſtis fuit & fatalis, ſed tamen caſus tantùm invidæ fortunæ) effeciſtis, inquam, ut crederet, hanc pœnam eſſe à Deo veſtro ſibi inflictam: effeciſtis, ut coram Judæorum Deo Rex tantus tam turpiter ſe humiliaret; ut facta ſua glorioſiſſima tanquam impia facinora retractaret. Quid ultra quæritis? novis nempe ſcrupulis, ad deſperationem ultimam Regem miſerum, & tot jam angoribus oppreſſum, redigere laboratis. *Sadoc.* Non ad deſperationem redigere, ſed in ſpem novam certámque afflictum Regem erigere laboramus. *Nican.* Miles, tentorium occupa. Cave, ne Hebræorum quemquam admittas: præſertim aditu prohibe

be Sacrificulorum fæcem. Quiete enim Rex indiget, non ejulatibus & clamoribus Poparum.

INDUCTIO QUINTA.

Abias. Sadocus.

Abias. Misera morientûm conditio, præsertim Magnatum, quos in mortis vicinia, in necessitate ultima, & sui deserunt, & alios etiam, qui juvare morientem soli possent, aditu prohibent. *Sad.* Hæc à justo Numine statuta pœna est in eos, qui in vita monitores salutis neglexêre, pœnitentiam in mortis viciniam distulêre; ut in morte demum iis careant, qui veram pœnitentiam docere, & saltem animæ saluti consulere possent. Hoc experitur jam infelix Antiochus.

INDUCTIO SEXTA.

Abias. Sadocus. Philippus.

Philippus. Abia. Ocyùs ad Regem redi, impatiens te inclamat. *Abias.* Jam accessissem, nisi aditum interclusisset Nicanor armato custode, *Philipp.* Insolens nempe Regem velut captivum detinet, & deserit, ac despicit morientem. Vos * liberum huic aditum date, & Regis potiùs, quam Nicanoris imperia venerari discite. Me sequere Abia. *Abias.* Sine, & hic ** mecum Regem adeat.

* *Ad milites.* ** *Denotat Sadocum.*

INDUCTIO SEPTIMA.

Antiochus. Sadocus. Abias. Philippus.

Antioch. Abia: nondum cessant dolores; adhuc Antiocho iratus est Israëlis Deus. *Abias.* Ergo studeamus placare iratum. *Ant.* Quo demum modo? *Abias.* En legis nostræ peritum & Dei Sacerdotem: hic te modum docebit, quo iratum Dominum placare possis. Patere modò, solus soli loquatur. *Sadoc.* Liceat, Rex, loqui liberè, sed pro salute tua. *Ant.* Loquere. *Sadoc.* Multa tibi, ô Rex, propria objiciet conscientia in Deum, & Dei Populum indignè commissa, quibus fatigatam Numinis diuturnam patientiam tandem ad vindictam provocâsti. Trucidata sunt armis Antiochi tot Judæorum millia sine causa; Judæa devastata; Jerosolyma flammis absumpta; Sionis arx per injuriam suis possessoribus erepta; sacerrimum Urbis & Orbis Templum pessimè contaminatum; direpti sacri thesauri, & Divina librorum monumenta sacrilegis ignibus absumpta. *Ant.* Fateor, hæc omnia patravi impius; sed patrâsse jam pœnitet: cessabo Deum, & Dei Populum ultra persequi, & graviùs Dominum irritare. *Sadoc.* Non satis est, Rex, commissa humiliter fateri, de iis dolere, & à peccando imposterum cessare;

ſed neceſſe eſt etiam illata aliis damna fideliter reſarcire, injuſtè parta Dominis reddere. Non enim habebis Iſraëlis DEUM tibi placatum, niſi reſtituas ablatum. *Ant.* Heu me! qui poſſum reſarcire hæc illata damna? an cæſis, aut mortuis vitam poſſum reſtituere? *Sadoc.* Hoc equidem non potes; potes tamen, & debes pupillis & viduis, quibus parentes & conjuges eripuiſti, ex tuis opibus vitæ alimenta præbere: potes, & debes iniquè adhuc à te poſſeſſa legitimis Dominis reddere: potes, & debes ſacra vaſa, quæ adhuc tenes, Templo reſtituere; quæ non exſtant, ex theſauris Regiis compenſare. *Ant.* Dura conditio. *Sadoc.* Sed neceſſaria, ſi propitium tibi velis reddere iratum Dominum. *Ant.* Nil de reſtitutione mihi Abias. Vos Sacerdotes nimiùm eſtis rigidi. *Sadoc.* Non ſumus rigidi, ô Rex, ſed ſincerè DEI legem & mandata, mediáque ad ſalutem neceſſaria exponimus. Secamus, ut ſanemus. *Ant.* Ablata omnia reſtituere, aut compenſare? Quid Filio relinquam. *Sad.* Regnum adhuc ſatis amplum Filio relinques, &, ſi nihil etiam relinqueres, propria potiùs ſalus, quàm Filii commoda, tibi curæ ſit. *Ant.* O dolores! acuti dolores! *miſerere mei DEUS miſerere!* *Sadoc.* Non miſerebitur tui DEUS, niſi, quæ ad

miſe-

misericordiam impetrandam necessaria sunt, Rex præstiteris. *Ant.* Dura conditio. - - Sed, - Sed accepto tamen. Restituam saltem aliqua. *Sadoc.* Omnia. *Ant.* Omnia? omnia non possum. *Sad.* Saltem, quantum potes. *Ant.* O dolores! *miserere mei DEUS!* restituam etiam omnia injustè ablata: compensabo damna aliis illata omnia. *Sadoc.* An seriò hæc, Rex, promittis? *Ant.* Seriò. *Sadoc.* Et quando promissa implebis? *Ant.* Ubi primùm convaluero. *Sadoc.* Imò jam nunc incipias; nunc disponas. - - *Ant.* Modò doloribus obrutus de his cogitare non possum. *Miserere DEUS!* leni dolores; redde sanitatem: præstabo, quæ exigis à me, omnia. *Sadoc.* Dixi: non incipiet tui misereri DEUS, nisi priùs incipias præstare, quæ suasi. Jube tabulas legitimas sine mora confici, quibus ad restituenda malè parta, ad sarcienda illata aliis damna, te, tuósque hæredes obstringas. *Ant.* O dura conditio! *Sadoc.* Sed sine qua veniam & gratiam à DEO frustra expectas. *Ant.* Ergo Scribam Regium vocate. Tu interim, Sacerdos DEI, tuas etiam pro me preces interpone. *Sadoc.* Magne Israëlis DEUS, cujus misericordiæ non est numerus, cui gratiarum infinitus est thesaurus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut converta-

tur, & vivat; perfice porro, quod jam cœpisti. Triumphavit jam de superbo Antiocho Justitia tua, dum corpus contrivit: triumphet modò & tua Misericordia, & animum jam humiliatum salubri dolore conterat.

INDUCTIO OCTAVA.

Sadocus. Abias

Abias. Quid spei ab Rege refers? *Sad.* Spem refero, sed adhuc metu mixtam, & grandi metu. *Abias.* Ergo nondum rite dispositum ad pœnitentiam deprehendisti? *Sadoc.* Studui disponere; liberè Regi exposui ad obtinendam veniam necessaria. *Abias.* Sincerum nempe de peccatis & offenso Deo dolorem? sed hunc utique satis produnt tot gemitus & humillima ad Deum suspiria. *Sadoc.* An verus & satis sincerus hic dolor sit, necdum examinavi. Dixi jam: morituri plurimi gemunt, & Dei misericordiam invocant, ut dolores, & mortem, ac temporales tantùm pœnas evadant: pœnitet illos irritâsse Deum, quia vident & sentiunt, quòd vitam & bona temporalia, &, quas amârunt unicè, voluptates illis possit, & velit eripere. Denique metus naturalis tantùm, non Dei aut Divinorum amor hos gemitus illis exprimit. Tales etiam esse

possunt

possunt gemitus Antiochi. Interim, quod etiam difficillimum, & tamen necessarium maximè verè pœnitentibus, urgere cœpi; nempe ut tot mala, quæ fecit, tot damna, quæ aliis intulit, Antiochus non retractet modò, sed etiam reparet, & compenset. Hoc si præstiterit, tum demum credere incipiam, serio peccati dolore & salutis desiderio Regem teneri; aut certè faciliùs, favente Dei gratia, ad verum dolorem disponam. Sed hoc ipsum quàm difficile? quàm difficile tot iniquè parta, tot injustè possessa, tot per vim, vel fraudem erepta, tot improbè dilapidata restituere & compensare? quàm hoc difficile tali præsertim homini, qualis erat Antiochus? *Abias.* Ignosce, Sadoce, nimiùm rigidus mihi videris, qui Regem, tot doloribus, & angustiis jam oppressum, in graviores conjicis angustias, & importunam restitutionis tam difficilis mentionem injicis. *Sadoc.* Importunam? *Abias.* Hanc ego curam hæredibus relinquendam, aut certè in tempus aliud & commodius differendam suasissem. Sufficiat tibi Regem sincerè confessum esse injustitias, & emendationem imposterum proposuisse. *Sadoc.* Si mihi sufficeret, an credis, sufficeret & Deo? cujus irrevocabile hoc decretum est: *Non dimittitur peccatum, nisi*

 resti-

restituatur ablatum. *Abias.* Qui restituere & compensare tam citò tot aliena bona poterit morti proximus Antiochus? *Sad.* Cur ad tale tempus distulit, quod dudum facere oportuit? Saltem faciat illico, quantum potest: ad reliqua, quæ non potest, hæredes suos efficaciter obstringat. *Abias.* Durum hoc. *Sadoc.* Sed necessarium; ad quod utique singulari iterum DEI miserentis, & cor moventis gratia opus est: hanc, age, pro Rege misero, etsi de nobis non merito, efflagitemus.

PARS ALTERA.

INDUCTIO PRIMA.

Sadocus. Abias. Philippus.

Philipp. DIxi: habetis Regem consiliis vestris in omnibus obsequentem. Epistolam videtis ad Gentem vestram, quam Antiochus ore proprio dictavit; qui pacem, & amicitiam spondet, & exigit ab iis, quos nuper acerbissimo odio persequebatur. Audite etiam vota, quæ non modò animo concepit, sed scripto etiam, & juramento firmavit. * *Justum est, subditum esse DEO, & mortalem non paria DEO sentire. Reminiscor jam malorum, quæ feci in Jerusalem, propter quæ invenerunt me mala ista. Sed cum lachrymis DEI misericordiam imploro, & mala, quæ feci, emendanda, & reparanda sanctè promitto.*

*Legit Epist. lam ex Mach. L. 1. c. 6. & l. 2. c. 9.

Civi-

Civitatem, ad quam festinans veniebam, ut eam ad solum deducerem, ac sepulchrorum congeriem facerem, volo liberam reddere, Judæos æquales Athenienſibus me facturum polliceor. Templum ſanctum, quod prius exſpoliaveram, optimis donis me ornaturum, ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de reditibus meis præſtaturum ſpondeo. Ipſe denique omnem terræ locum perambulabo, & prædicabo DEI poteſtatem. Sic me adjuvet, & peccatoris Antiochi miſereatur Iſraëlis DEUS. Abias. Quid ad hæc Sadoce? *Sadoc.* Fateor, nunc demum bene de ſalute Antiochi ſperare incipio, & ſingularem miſerentis Numinis gratiam, in tanti peccatoris anima tam potenter operantem, agnoſco, & adoro. *Philipp.* Præſtitit, quod ſuaſiſtis, Rex meus, nunc etiam, quod promiſiſtis, præſtet veſter DEUS, & Antiochum morti jam imminenti eripiat. Hoc ſi poterit, & ego, relictis Diis patriis, Iſraëlis DEUM cum Rege meo colere incipiam. *Abias.* Poterit utique, ſi volet. *Sadoc.* Et vult etiam, ut video, vult Regem tuum, cui gratiam pœnitendi tam efficacem dedit, morti ſaltem æternæ eripere, & vitam illi ac coronam beatiſſimam reſervat. *Philipp.* Quid ergo Regi referam? *Sadoc.* Jube illum firmiter in Iſraëlis DEO ſperare: ſi nos denuo admittat, plura & ſaluberrima;

& quæ fummo erunt folatio à nobis audiet. *Abias.* Quàm fortiter & fuaviter, triumphat hodie Ifraëlis DEUS, & victrix DEI gratia de peccatoris, tamdiu indurati, fuperbia & pertinacia. *Sadoc.* Difceret utinam tota Affyria cum Rege fuo, tandem colere & agnofcere verum DEUM. *Abias.* Quin totius Orbis, & feri etiam peccatores difcant exaltare DEI Mifericordiam, & momento quoque ultimo in DEI Bonitate & Clementia confidere.

INDUCTIO SECUNDA.

Sadocus. Abias. Nicanor.

Nicanor. Triumphate, triumphate, & gratulemini vobis, & Genti veftræ Profelytum Regium. Grande opus perfeciftis, dum Antiochum à Diis patriis ad fuperftitionem Judaicam traduxiftis. *Sadoc.* Non nos, fed DEI noftri (in cujus manu funt corda Regum) potens & fingularis Gratia tantum opus perfecit. *Nican.* Potens utique hæc DEI veftri manus, quæ Regem tam potenter percuffit, & tam mirabili modo denuo fanavit, atque à mortis faucibus eripuit. Impoftores! eò tandem veftris præftigiis infeliciffimum Regem deduxiftis, ut in extrema neceffitate conftitutus, & ab hominibus jam defertus, etiam Deos ipfe dereret, quò ab iisdem defertus certiùs

peri-

periret. *Sadoc.* Non, ut periret, sed ne æternùm periret Antiochus, laboravimus. *Nican.* Nunquid sanitatem & vitam illi promisistis, si Deo vestro supplex, eidem aras & templa erigat, & vota concipiat? *Abias.* Placandum verè pœnitenti Deum, &, si non corporis, tamen animæ, quæ pretiosior est, vitam promisimus, & promittimus adhuc. *Nican.* Ite, ite ergo, tollite cadaver Regium, Solymæö Templo pretiosum depositum inferte. *Sadoc.* Cadaver? An ergo jam expiravit Rex tuus? *Nicanor.* Non meum, sed vestrum Regem, Judæum Antiochum nominate, & quod dixi, cadaver putridum Solymæo Templo, vel etiam illi, quem *Sancta Sanctorum* vocatis, loco inferte; æternum posteris monumentum futurum, quàm potens & simul clemens sit Israëlis Deus; quàm mirabiliter vulneret, & sanet; vitam eripiat, & reddat. *Abias.* Certè monumentum & Justitiæ & Misericordiæ potest esse Antiochus, & operantis in peccatore maximo Divinæ Gratiæ prodigium; cujus corpus, si Divina meritò perdidit Justitia, pœnitentis tamen animam non rejecit Divina Misericordia. Nunquid, Sadoce? quid stupes tacitus?

INDUCTIO TERTIA.

Sadocus. Abias. Nicanor. Philippus.

Philipp. Nicanor, Sadoce, Abia; si potestis,

stis, morienti Regi succurrite, cujus ego miserabiles gemitus nec diutius audire, nec fœtorem tolerare sustineo. *Sadoc.* Ergo adhuc spirat Antiochus? *Philipp.* Spirat, sed ægrè. *Nican.* Invocet, in quo speravit Israëlis Deum: ego putridi cadaveris aspectum non fero. Crepet cum Judæis suis Judæus Antiochus. *Sadoc.* Desertum ab omnibus nos non deseramus, quem nec deseret Deus noster.

INDUCTIO QUARTA.

Antiochus. Sadocus. Abias.

Abias. Rex, in æternum vive. *Antioch.* Quis vivere morientem jubet? *Sad.* Æternùm vivere te Deus cupit, quem jam speres placatum, postquam, quæ placando Deo præstanda suaseram, tam piè & fortiter præstitisti. *Antioch.* Præstiti, quæ suaseras, sed Deus non præstitit, quæ promiseras: acriùs me excruciat iratus. *Sadoc.* Non irati, sed miserentis Dei hæc sunt indicia: corpus atterit, ut salubri dolore magìs conteratur spiritus. *Antioch.* Utique jam contritus & humiliatus satìs spiritus meus? *Sadoc.* Humilietur ampliùs sub manu potentis & miserentis Dei. Hanc, ô Rex, exosculemur paternè ferientem. *Ant.* Exosculabor, si ferire me cesset: sed heu! non cessat, non miserebitur. *Sad.* Miserebitur, & certò miserebitur animæ tuæ,

spem

ſpem modò firmam concipe in infinita ejusBonitate; quam à te toties contemptam & offenſam utique doles ex animo? *Ant.* Obruor utique corporis & animi doloribus. *Sadoc.* Pœnitet læſiſſe Dominum? - - *Ant.* Pœnitet iram provocâſſe potentis Domini, qui vitam & regnum heu heu! - - *Sadoc.* Et pœnitet tam ſerò te agnoviſſe, & coluiſſe illud ſupremum Bonum, quod ſaltem modò æternùm colere & amare deſideras? *Ant.* Amabo, ſi vitam mihi & ſanitatem, reſtituat. *Sadoc.* Sive vitam indulgeat, ſive tollat, adoremus Domini voluntatem, eique nos, & noſtra omnia immolemus. *Antioch.* Et vitam, & regnum ſibi immolandum petit? *Sadoc.* Ut vitam, & regnum tibi reſtituat beatius, & æternum. *Abias.* Ad æterna, ô Rex; ad æterna jam ſpem, vota, & deſideria tua erige. *Ant.* Ergo vitam & regnum præſens debebo perdere? *Sadoc.* Nil timeas perdere terrena, dum obtineas cœleſtia, ad quæ DEUS in hac extrema neceſſitate tui miſertus, potenti gratia te invitat. Incipe tandem deſiderare & diligere illum, qui in charitate perpetua dilexit te & miſerans attrahit ad ſe. *Ant.* Sic miſerans trahit me, qui ad tumulum rapit. *Abias.* Sed è tumulo ad cœlum. *Sadoc.* Crede, Rex, ſpera, ama, dole. *Ant.* Heu me! ergo fruſtra tot lachrimis miſericordiam imploravi? fru-

ſtra-

ſtra tot vota concepi? *Sadoc.* Non fruſtra, ô Rex, miſericordiam implorâſti, quam jam conſecutus es: jam miſeretur animæ tuæ Deus, dum bene moriendi gratiam tam pronus offert. *Ant.* Gratiam moriendi? vitæ gratiam tot lachrimis & votis flagitavi, hanc ſi mihi deneget veſter vel impotens, vel immitis Deus -- *Sadoc.* Ah Rex! quid loqueris? cave, ne blasphemes moriens. Miſericordiam potiùs implora. *Ant.* Ite, ite impoſtores; vos me ſpe vana -- *Abias.* Heu corruit, frendet, ſpumat, Sadoce, adjuva. *Ant.* Abite, abite; & ego abeo ad -- *Abias.* Exhalavit ſpiritum. *Sad.* Infeliciſſimum. *Abias.* Ergo perditum credis, & æternùm perditum poſt tot ſigna pœnitentiæ? poſt tot lachrymas? *Sad.* Qualis hæc pœnitentia? quàm non vera? tales lachrymæ non delent inferni incendia. Videmus in Antiocho impletum, quod per os Sirach minitatus eſt Deus. * *Ne dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.*

* Eccl. 5. v. 6.

O. A. M. D. G.